JAC. PERIZONII
ORIGINES BABYLONICÆ ET ÆGYPTIACÆ

TOMIS II.

Quorum Prior

BABYLONICA, & TURRIS IN TERRA SINEAR EXSTRUCTÆ, AC DISPERSIONIS HOMINUM EX EA, RATIONEM AC HISTORIAM CONTINET.

EDITIO SECUNDA.

CUI PRAEFATIONEM ET ALIA QUAEDAM ADDIDIT

CAROLUS ANDREAS DUKERUS.



TRAJECTI ad RHENUM.

Apud JUSTUM REERS.

MDCCXXXVI.

Excellentissimo atque Amplissimo Viro,

JOHANNI VAN DEN BERGIO,

CIVITATIS LUGDUNENSIS CONSULI IV. ET EX FOEDERATA HAC REP. NOMINE CAROLI III. HISPANIARUM REGIS, BRABANTIAE, FLANDRIAE, HANNONIAE, &c. EPHORO, ET AD RES EARUM ORDINANDAS CONSTITUENDASQUE DELEGATO.

S. P. D.

JAC. PERIZONIUS.

Singularis est illa benevolentia, qua me complexus es omni illo tempore, quo ex Frisio in Batavum

evocatus Athenaeum, fixam hic mearum habui fortunarum ſedem. Ea vero multo mihi gratior etiam accidit & honeſtior, quod praecipuo quodam amore ac ſtudio totam Te Academiam, eoſque in primis, qui bene de ea merentur, proſequi cernebam. In illis abs Te, Viro Elegantiſſimi Judicii, & in Academicas res ſemper intento, cenſeri non poterat non eſſe mihi jucundum valde & honorificum. Sed & quod Tuam in amicitiam ultro me & conſtanter adeo recepiſti, qui nullas certe in ea mecum conſtituenda propriae utilitatis ſpectare potuiſti rationes, honori id mihi apud alios vel maximo fore duxi, quum in Tuae exiſtimationis praejudicio atque

que ornamento partem haud exiguam publicae laudis repoſitam arbitrarer. Nec temere me ita putaſſe, laetus & lubens ſenſi, quando ipſam quoque Remp. Tuo quamplurimum tribuere Judicio, Tuaſque Virtutes, &, quae in Te poſſidebat, Bona agnoſcere vidi, dum in tanto armorum ſtrepitu, atque ambiguo rerum ſtatu, Te potiſſimum ex Hollandia noſtra delegit, quem ad Brabantiam, Flandriam, Hannoniam in mutuae amicitiae foedere & officio continendam praecipua cum dignitate & auctoritate mitteret. Duram enimvero provinciam tuis impoſitam humeris fateor, quippe ad quam recte adminiſtrandam ſumma requiritur prudentia & fortitudo,

ſumma induſtria & ſapientia, ſumma denique abſtinentia & vitae integritas. Verum tanto major Tua eſt gloria, quo rectius partes adeo difficiles ſemper egiſti, atque etiamdum agis. Ipſi Bruxellenſes & Brabantini omnes, aeque ac Noſtri Ordines, praedicarunt, publicisque declararunt Honoribus, Tua merita, Tuam conſtantiam, Tuum conſilium in toga ſimul & in ſago conſpicuum, quum illa iſtius Gentis Metropolis & Urbs Urbium graviſſimo quateretur belli tumultu, atque acerrima premeretur obſidione. Potuiſſes Te periculis tunc ſubtrahere ſalva exiſtimatione Togatus, & commeatu a Patriae Patribus dato, ſed maluiſti Te tuamque vitam praeſentiſſimo objicere
diſcri-

diſcrimini, & Patriae, ſi opus ſit, impendere, quam, ſubducendo Te, eam periculo exponere. Et grande tuliſti tunc tuae curae & perſeverantiae pretium ac fructum, quando, Servatis Bruxellis, non Brabantia modo omnis Hoſtium, qui jam jugulo ejus incumbebant, faucibus eſt erepta, ſed & ab Reip. noſtrae Finibus longe remota manſerunt triſtia belli atrociſſimi mala. De hiſce, & ceteris, quae publico cum Batavorum, tum communis Foederatorum cauſae, bono, hic & illic jam praeſtitiſti, ut Tibi ex animi ſententia gratulor & applaudo, ita Te viciſſim nunc rogo, ut publicum hoc amicitiae noſtrae monumentum, quam per hoc opuſculum Tuo Nomini inſcriptum con-

ſtare omnibus volui, benevole accipias. Servet Te Deus O. M. Patriae, ac Foederatis, tum Lugdunenſi Civitati, denique Tuae Familiae & omnibus, qui Te colunt & amant, quam diutiſſime ſoſpitem & incolumem. Vale, Vir Illuſtriſſime, & Tuam ſimul ac publicam Rem feliciter, ut adhuc feciſti, etiam deinceps gere. Lugduni in Batavis a. d. III. Nonas Majas CIↃ IↃCCXI.

JACOBI PERIZONII

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Diu jam eſt, quod *Babylonicas* has *Origines* Diſſertationibus aliquot, quales ad exercendam Academicam pubem in Diſceptationem mitti ſolent, per partes ediderim. Quum vero non diſplicuiſſe viderentur Lectoribus, certe ex Officina omnes brevi identidem fuiſſent diſtractæ, jamque dudum haberi amplius non poſſent, atque ideo ſæpius & a variis eſſem rogatus, ut in unum volumen collectas in publicum darem, viſum fuit faciundum tandem, ut eas denuo recenſerem, & hic illic auctas variis acceſſionibus omnium oculis & judicio permitterem. Sed dum in rebus antiquiſſimi temporis inveſtigandis verſor, quæ ſpiſſis undiquaque tenebris ſunt obſitæ, nec idoneis ſemper probari, quantum ſatis eſt, te-

ſtibus poſſunt, accidit ſane, ut, dum omnia diligenti meditatione, & ſecundis ac ſæpe tertiis curis, circumſpicio, multam quoque *Addendorum* ſegetem extremo Libri demum adjecerim, aliquando etiam priorem mutaverim ſententiam: id quod tantum abeſt, ut mihi vitio verſum iri ab æquis Lectoribus augurer, ut e contrario palam & ultro profitear. Secus arbitrentur Homines, qui, quod ſemel ſe clare & evidenter perſpexiſſe autumant, ſub examen denuo revocare abnuunt, ne videantur ſuo ipſorum judicio aut perſpicaciæ diffiſi. Vereantur illi ac refugiant ſuos agnoſcere errores, diſſimulent immo eos, vel tueantur etiam mordicus, atque agant omnia, ne humani quid comperiantur paſſi. Mihi alia ſedet mens, alia eſt ratio, & longe laudabilius duco, de mei ipſius Judicii & Doctrinæ exiſtimatione detrahere quid ſponte mea, quod veritati donem, quam uni ſervire gloriæ apud imperitos rerum arbitros, eique Verum

poſt-

posthabere, quod tamen, etiamsi in tenebras abdatur, a peritis facile plerumque agnoscitur. Neque tamen eo præfari hæc volui, quod sæpius in hisce, in quibus ceteroquin, in ultimam quippe antiquitatem reconditis, *fas est obrepere somnum*, priora mea expunxerim, & alia substituerim; sed quia multi hodie ejus sunt generis, ut quidvis potius fingerent, & aliis obtruderent, quam ut sua retractarent, admoniti licet & omnium consensu convicti. Quin aliis illi, magis ingenuo candore præditis, illudunt insuper & insultant palam, si homines se ultro agnoverint, quum interim ipsi tam negligenter & festinanter sua scribant & publice edant, ut libri ipsorum erroribus scateant, & tamen, qua sunt fronte penitus perfricta, varia tractare, magnoque cum supercilio, quæ forsan intelligunt, & quæ certe non intelligunt, docere alios non vereantur. Sed relinquamus hos suo Genio, quo nati sunt arrogantissimo. Ego

dignam

dignam & juſtam rebus quibuscumque, quæ in publicam emittuntur lucem, adhibendam cenſeo curam, & ſi forſan hac non ſatis ſucceſſit via, tentandam aliam quoque, ut ita, quod Verum eſt, inveniatur tandem. Quam animi ſententiam dum ſequor, ſicuti mea ipſius vineta cædere non erubesco, ita nec aliorum opinionibus aut interpretationibus me addico indecoram in ſervitutem, atque ideo etiam in hisce juſta libertate uſus, quidquid mihi videtur veriſſimum, refutatis, quæ opponi poterant, aut qui contrarium quid tradebant, diligenter aſſerui, quod ut æqui bonique conſulas, quiſquis eris, Lector, etiam atque etiam rogo, inprimis quum nihil ceteroqui detractum Ego velim Doctiſſimorum Hominum meritis ac ſtudiis, quæ digno æſtimare pretio, in quocunque reperiam Homine, Tros Rutulusve fuat, nunquam ceſſabo. Vale.

CARO-

CAROLUS ANDREAS DUKERUS,

S. P. D.

LECTORI.

Non est mihi animus longa oratione ad commendandos hos Viri Clarissimi, *Jacobi Perizonii, Babylonicarum & Aegyptiacarum Originum* Libros apud Te uti. Nam quum ipsi, ut cetera illius scripta, in quibus omnibus conjunctum cum excellenti doctrina magnum & acre judicium elucet, sua se bonitate satis commendent, non magis illis aliena commendatione, quam vino vendibili, quod dici solet, hedera suspensa opus est. Itaque hoc potius agam, quod & exspectare Te arbitror, ut de iis, quae ad novam hanc Originum illarum Editionem pertinent, dicam, ac simul, quod fortassis non exspectas, Auctorem earum adver-

sus

ſus reprehenſiones & contumelias quorumdam defendam. Publicavit ipſe hos Libros Lugduni in Batavis Anno cIↄIↄccxI. qui quam avide, quantisque omnium ſtudiis excepti ſint, hoc indicio eſt, quod & dudum vix ulla eorum exemplaria in tabernis Librariorum inveniuntur, &, quae in auctionibus publicis venalia ſunt, calore licitantium plerumque immodico pretio vendi cœperunt. Has ob cauſas quum eos rurſus edendi ſe conſilium cepiſſe mihi ſignificaſſet, meumque ad id exſequendum auxilium expetiiſſet Librarius, non modo conſilium illius probavi, verum etiam haud difficulter, ut conatus ejus adjuvarem, a me impetrari paſſus ſum. Primum omnium igitur curavi, ut, quae Auctori addenda & emendanda in mentem venerant, & in fine utriusque voluminis legebantur, ſuis quaeque locis ponerentur. Deinde, partim eorum, quae de quibusdam capitibus adverſus illum diſputata in noti-

notitiam meam venerant, addenda putavi: in primis ea, quibus ſententiam illius de Eſarhaddone, Sennacheribi Filio, & occupata ab eo Babylone, deque Seſoſtri ac Seſaco, in *Spicilegio Antiquitatum Aegypti atque ei vicinarum Gentium* ſtilo interdum ſatis horrido, & acerbioribus, quam res poſtulabat, verbis impugnavit *Gulielmus Jameſon, Praelector Hiſtoriarum in Univerſitate Glasguenſi:* quae inde deſcripta huc transferenda duxi; quod Librum in Scotia editum neque vulgo trans mare notum, neque in multorum manibus eſſe credebam. Cetera, de quibus aliter ſenſerunt Viri Clariſſimi, Campegius Vitringa in *Commentario in Eſaiam*, Franciſcus Sevinius in *Diſſertatione Gallice ſcripta*, qua emendationem loci Pliniani in *Capite I. Originum Babylonicarum* confutare conatus eſt, & *Jo. Fridericus Schroeerus* in Libro, cui Titulum fecit *Imperium Babylonis & Nini*,

ni, prudens omiſi; quod molem librorum non nimis augeri volebam, & quum ſcripta eorum obvia ſint, ſufficere arbitrabar id hoc loco verbo indicaſſe. Vitringae quidem reſponſurus erat, ſi vixiſſet, quod ex ipſo audivi, Perizonius. Sed hoc & *Aſſyriacas Origines* ſcribendi conſilium mors illius interpellavit. Sevinii Diſſertationem & argumentorum pondera eodem ſermone examinavit *Anonymus Auctor Articuli I. Tomi IX. de l'Hiſtoire Critique de la Republique des Lettres.* Eorum autem, quae Schroeerus diſputat, etſi quaedam conſideratione digna videntur, tamen ea non excutere, nec multa a me addere volui, cum ob eam, quam dixi, cauſam, tum quod mihi laborem difficilis, & non paucarum horarum, ſed multorum dierum, inquiſitionis harum rerum ſuſcipiendum non putabam.

Sed praecipuum huic Editioni ornamentum acceſſit Viri plurimum Venerandi ac Doctiſſimi, *Hieronymi*

van

van Alphen, SS. Theologiae in Academia Trajectina Professoris Celeberrimi, *de Annis Judicum Hebraeorum Dissertatio.* Incideramus forte in sermone familiari in mentionem de sententia Perizonii, qui *Cap. XVI. Originum Aegypt.* ab exitu Israëlitarum ex Aegypto usque ad quartum annum Salomonis, non *quadringentos octoginta* annos, quibus hoc intervallum 1. *Reg.* VI. 1. definitur, sed *quingentos octoginta* effluxisse, & ita in loco illo *Libri* I. *Regum* scribendum putat. Eam quum sibi non probari, seque Auditoribus suis nihil ibi mutandum esse demonstrasse, diceret, statim & ipse eum hortari, & postea per Librarium cum eo agere coepi, ut ornandae hujus Editionis causa, quae intra domesticos parietes disseruerat, in publicum exire pateretur; quod putabam tam laudabilis laboris potius omnes, quam paucos, fructum debere capere. Nam praeter summam rerum

Theologicarum ſcientiam, de qua inter omnes conſtat, etiam in controverſiis Chronologicis ex Sacra Scriptura inter Doctos ortis ſtudioſiſſime verſatum eſſe, ex abſoluto omnibus numeris illius *Commentario in Caput IX. Danielis de LXX. annis Captivitatis Babylonicae, & LXX. Hebdomadibus* apud Danielem dudum intellexeram. Nec ille, quae eſt ejus humanitas, & hanc quoque partem ſtudiorum adjuvandi voluntas, recuſandum quo minus, quod paucorum erat, in commune conferretur, exiſtimavit, & conſcriptam de hoc argumento Diſſertationem, quam *Originibus Aegyptiacis* addidimus, ad me miſit; quod ego cum mihi perhonorificum eſſe judico, ut certiſſimum illius erga me amicitiae teſtimonium, tum omnibus harum rerum penitus cognoſcendarum ſtudioſis gratiſſimum fore confido. Nam quum tam ſpecioſae ſint rationes Perizonii ut iis etiam, qui in hoc genere

nere ſtudiorum exercitati ſunt, moveri poſſint; annos Judicum non modo aliter atque ille fecerat, ordinari poſſe docet; verum etiam, quod ei firmiſſimum videbatur emendationis ſuae fundamentum in verbis Pauli Apoſtoli *Actor. Apoſt. XIII.* 20. ita, quantum ego de his rebus judicare poſſum, ſubruit, ut nihil in iis praeſidii ad mutandum in I. *Reg.* VI. 1. numerum annorum cuiquam reliquiſſe videatur.

Quibus de rebus quum Viro Clariſſimo adſentior, non ideo minus, quam ille, ingenium ac doctrinam Perizonii ſuſpicio, nomenque & memoriam in honore habeo; ſed pro ea, quae in Republica, quam literariam vocant, omnibus conceditur libertate, quod mihi tam de hoc, quam de aliis quibusdam, quae in his libris ab eo ſcripta ſunt, verius videtur ſequor. Nam & recte, mea ſententia, Vir Clariſſimus, Jacobus Gronovius in *Notis & Ob-*

ſervationibus ad Herodotum pag. 896. cenſet non eſſe in Herodoto II. 140. delendam totam illam periodum, ταύτην τὴν νῆσον -- Ἀμυρταίυ, in qua ſibi faſtidioſam tautologiam deprehendiſſe *Cap. XI. Origin. Aegypt. pag.* 202. videbatur Perizonius. Etſi enim hoc locum illum primum intuenti non improbabile videri poteſt, & narratio Herodoti de inſula illa etiam alia obſcuritate laborat, tamen hujusmodi conjecturae contra fidem omnium librorum ſcriptorum recipi non poſſunt; eo magis, quod hoc genus tautologiae Herodoto, ut oſtendit Gronovius, non inuſitatae ſunt. Nec facile admiſerim alteram Perizonii in eodem Herodoti loco conjecturam, ſi periodus illa retineatur, in ea pro ἔτεα πλέω ἢ ἑπτακόσια, legendum eſſe ἔτεα πλέω ἢ τριακόσια. Nam in his verbis Herodoti, *Reges Aegypti ante Amyrtaeum ſeptingentis, & amplius, annis non potuiſſe invenire inſulam illam*, nihil

eſt,

eſt, unde intelligi poſſit eum tantum id tempus voluiſſe deſignare, quod inter Sabaconem & Amyrtaeum interjectum, & ex Perizonii rationibus trecentorum annorum fuit; ſed numerus ille *ſeptingentorum annorum* etiam ad priores Sabacone Reges proferri poteſt. Et hoc fortaſſis eſt, quod eodem loco ſcribit Gronovius, *ſe alia, quae hic tam licenter deciduntur* (a Perizonio) *dedignari tangere.* Hoc quoque rationem habet, quod *ibidem* contendit, non eſſe mutandam ſummam annorum *undecies mille trecentorum & quadraginta*, quam ex CCCXLI. γενεαῖς, quarum tres centum anni ſunt, colligit Herodotus II. 142. pro quibus *undecies mille trecentos & ſexaginta* malebat Perizonius *pag.* 201. Quum enim CCCXLI. generationes neutram harum ſummarum exacte conficiant, non major ratio eſt hoc modo legi, quam illo, & *ſufficit*, ut ait Gronovius,

 poſtre-

postremam harum generationum procedere & currere. Denique in Herodoti *Lib. III. cap.* 5. ubi de Cadyti agitur, verisimilior mihi videtur conjectura Gronovii pro ἥ ἐστι Συρίων legentis γῆ ἐστὶ Συρίων, quam Perizonii, qui molestum illud ἡ delendum, & πάντα, vel χώρα supplendum putat. Nam & omnes Manuscripti ἡ habent, & ellipsis illa, etsi alioqui satis usitata, in tali verborum positura plane insolens, & vix tolerabilis est.

Verum quemadmodum haec a Clarissimo Gronovio bene animadversa sunt, ita ceterorum, quae Eidem in *Originibus Aegyptiacis* cum tanta verborum acerbitate, ut etiam doli insimulare Perizonium non dubitaverit, notanda visa fuerunt, dispar ratio est: quippe quum eorum alia ejusmodi sint, ut ea vel retulisse idem sit, quod refutasse; alia adeo levia, ut nemini, qui modo paullo aequior sit, in iis quid-

quam

quam nota dignum videri possit. Scribit nimirum *in principio Capitis secundi Origin. Aegypt.* Perizonius: Herodotus *denique Regibus post Deos, Semideos, & Heroas* tribuit *Lib. II. cap.* 142. *annorum* 11340. *usque ad Sethon. Nam ab Hercule, qui secundis Diis adscribitur, usque ad Amasin XVII. millia* numerari tradit *Lib II. cap* 43. *at a Dionyso, qui inter tertii Ordinis Deos exstitit, usque ad eundem Amasin* computat *Cap.* 145. *XV. millia, idque* Aegyptios jactare ait *certo se scire, quum semper numeraverint & annotaverint annos.* Et *Cap. V. pag.* 71. *Quia, ut* diserte tradit Herodotus *II.* 4. *Menes primus ex Hominibus regnavit.* Ac denique *ibidem pag.* 74. *Quod Menes iste* ab Herodoto dicitur *primus Rex.* Haec arripit in iisdem *Notis & Observationibus pag.* 859. & in *Addendis ad illam pag.* & ad *pag.* 870. 896. 897. Gronovius, & Perizo-

 nium

nium arguit, ut qui Lectoribus persuadere voluerit Herodotum priscis Regibus ac regno Aegyptiorum aliquot myriadas annorum tribuentem, & Menem primum ex Hominibus in Aegypto regnasse tradentem, ea omnia ex sua, non Aegyptiorum, sententia scripsisse; quum *Herodotus nihil tribuat; nec jactet se inspexisse ipsos Annales* (Aegyptiorum) *& hinc numerari tradat; nec sua fide quidquam hujus generis dicat, sed eorum, ex quibus inquisivit, & modo referat, quid ex nonnullis in Aegypto audiverit.* Et his omnibus epiphonematis modo denique injuriosam clausulam addit: *Dolose haec scripta.* Sed injustam esse hanc accusationem facile per se quilibet, qui *Originum Aegyptiacarum* librum legendo modo percurrere volet, videbit. Verum est Perizonium, quum ab Herodoto testimonium harum rerum sumit, interdum non addere eum illas fide Aegyptiorum referre.

ferre. Sed profecto semper & ubique locum habere debet, quod in Jure Civili observari vult Pomponius JCtus: *non oportere calumniari Jus Civile, nec verba captari, sed qua mente quid diceretur, animadvertere convenire.* Quum igitur Perizonius *pag.* 156. 205. 257. & alibi, diserte scribat Herodotum ac Diodorum Siculum *omnia*, quae de priscis rebus & Regibus Aegyptiorum tradiderunt, *a Sacerdotibus Aegyptiis accepiße*, cur quisquam aequo animo Origines has legens aliis locis, quibus de eo Lectorem non monuit, verba captabit, & literas sequetur potius, quam mentem scribentis inspiciet? Utitur saepe eadem ratione in iis, quae ex Diodoro describit, ut interdum illum *ea tradere*, interdum *ab Aegyptiis habere* dicat, nec tamen hoc vituperat Gronovius. Cur ergo illi eodem modo in Herodoteis referendis versanti *doli* notam inustam voluit? Sed illud vel maxime

miror, quomodo ei in mentem venire potuerit, ut etiam in his verbis Perizonii, HERODOTUS *XVII. millia annorum* NUMERARI TRADIT, & IDQUE AEGYPTIOS JACTARE AIT *certo se scire*, reprehensionis suae firmamentum poneret, quae id funditus evertunt. Nam qui ita loquitur, eum apertum est neque dicere, neque sentire Herodotum ipsum sic numerare, & jactare se ipsum Annales Aegyptiorum inspexisse, sed omnia illa Aegyptiorum, non sua, fide referre, & ab his accepta scribere.

Quae praeterea Idem Vir Clarissimus tam vehementer, tamquam falsa & Herodoto repugnantia, insectatur, ea omnia perquam minuta, &, si quis non iniquus judex esse velit, extra culpam & reprehensionem posita sunt. Hujus generis est, quod ad ea, quae de deminuta post Aprien regni Aegyptiaci potentia agens *pag.* 553. scribit Perizonius ex Herodo-

to

to III. 1. *Amaſin ipſum ſe Perſis imparem prorſus duxiſſe, & Cyrum ab eo*, tanquam qui obſequi ſibi deberet, *praeſtantiſſimum oculorum Medicum, qui eſſet in Aegypto, poſtulaſſe*, haec *pag.* 901. adnotat: *An id fecerit Cyrus ut poſtularet ab eo*, tanquam qui obſequi ſibi deberet, *habeat ſibi ille, qui ſcribere ſuſtinuit, Aegyptum fere ad nihilum redigens. Nam cur id non fecit ex aliqua alia regione ſibi ſubjecta? Immo, quia conſtabat non eſſe alibi meliores.* Credibile ſane eſt hoc non ignoraſſe Cyrum, nec id negat, & tamen nihilo ſecius habere ſibi, quod ſcribere ſuſtinuit, poteſt Perizonius. Horrebat nempe, ut ibidem auctor eſt Herodotus, potentiam Perſarum Amaſis: hoc autem quum non magis, quam quae de peritia artis Medicorum Aegyptiorum ferebantur, ignorare poſſet Cyrus, facile quoque Amaſin *ſibi obſequi debere*, id ſt, non auſurum poſtulanti, quod volebat, recu-

recuſare, quae Perizonii mens eſt, ſcire poterat. Nec recte eo nomine notatur, quod divinarum praedictionum, quam mendaciſſimorum Aegyptiorum, fidem ſequi maluit, & Aegyptum poſt necem Apriae humile ac debile regnum fuiſſe dixit: nam qui hoc negare ſuſtineat, viderit, quomodo, quae de ea re in libris ſacris praedicta ſunt, exitum habuiſſe demonſtraturus ſit.

Illud quoque nullo negotio dilui poteſt, quod *pag.* 897. *Not. & Obſervat. in Herodotum* dicit, *mera falſa eſſe*, quae *pag.* 441. ſcribit Perizonius, *Nihil majus & operoſius in Aegypto, atque ejus Hiſtoria, inveniri exſtructione Pyramidum:* quia Herodotus II. 148. ſcribat, ὁ δὲ δὴ λαβύρινθος καὶ τὰς πυραμίδας ὑπερβάλλει, *labyrinthus pyramidas quoque antecellit:* nam *non poſſe haec verba fallere.* Ita eſt: clara ac dilucida videntur eſſe haec verba. Et tamen non dubium eſt, quin, ſi quis putet iis ſi-

gni-

gnificari *nihil majus & operosius in Aegypto esse labyrintho*, is se ipse, non eum verba Herodoti fallant. Nam si haec ratio Gronovii valet, etiam *mera falsa sunt*, quae de labyrintho prodit Strabo *Lib.* XVI. *pag.* 811. ἡ τοῦ λαβυρίνθου κατασκευὴ πάρισον ταῖς πυραμίσιν ἐστὶν ἔργον, *labyrinthi fabrica opus haud impar pyramidibus est*: non enim πάρισον, sed ὑπερβάλλον τὰς πυραμίδας, *superans pyramidas*, dicere debuisset. Et quae de pyramidibus Ammianus Marcellinus *Lib.* XV. *Cap.* 22. *ultra omnem omnino altitudinem, quae humanis confici potest, erectae*: nam hoc quoque labyrintho, non pyramidibus, tribuendum fuisset. Quid ergo est, quod dicit Herodotus, *labyrinthus pyramidas quoque antecellit?* Manifestum est haec verba non de mole labyrinthi, nec de labore in illo exstruendo exhausto, ac ne quidem de diuturnitate temporis illo perficiendo absumti, verum de varietate,

ele-

elegantia, & artificio totius operis ac ſtructurae, & ſingularum illius partium accipienda eſſe. Hoc oſtendit Diodorus Siculus *Lib.* I. *pag.* 39. de labyrintho hunc in modum ſcribens: Τὸν ὀνομαζόμενον λαβύρινθον ὀυχ ὅυτω κατὰ τὸ μέγεθος τῶν ἔργων θαυμαστὸν, ὡς πρὸσ τὴν φιλοτεχνίαν δυσμίμητον, *non tam mole operum admirandum, quam artificio inimitabilem.* Et de pyramidibus *ibid. pag.* 41. ὁμολογεῖται δὲ ταῦτα τὰ ἔργα πολὺ προέχειν τῶν κατ' Αἴγυπτον, ὀυ μόνον τῷ βάρει τῶν κατασκευασμάτων, καὶ ταῖς δαπάναις, ἀλλὰ καὶ τῇ πολυτεχνίᾳ τῶν ἐργασαμένων, *in confeſſo eſt haec opera ceteris per Aegyptum longe praecellere, non tantum ſtructurarum mole, & impenſis, ſed etiam induſtria artificum.* Atque hi tres, aeque ac Herodotus, labyrinthum & pyramidas in Aegypto coram inſpexerunt.

Quod denique nomen illius, qui primus ex Hominibus Rex Aegypti fuiſſe dicitur, a Perizonio perperum in

in caſu recto *Menes* efferri arguit in *Addendis ad pag.* 859. quum non ita dicatur Herodoto, ſed uniſyllabicum ſit, id non magis ad hunc, quam ad Bochartum, Marſhamum, & alios pertinet, qui, ſi quid in hoc culpae eſt, in eamdem reprehenſionem incurrunt, quod & ipſi *Menes* in nominativo dixerunt. At cur hoc illis non licuit? An, quia Herodoto hoc nomen eſt monoſyllabum Μὴν, Μεὶν, vel Μίν? At Diodoro Siculo *Lib. I. pag.* 28. 29. & 56. eſt diſſyllabum Μηνᾶς, & Euſebio in *Chron. pag.* 14. haud dubie ex Manethone, Μήνης; qui &, ne quis in eo errorem eſſe putaret, hoc aliter apud Herodotum ſcribi his verbis monet: Μήνης Θεινίτης, ὃν Ἡρόδοτος Μῆνα ὠνόμασεν. *Menes Thinites, quem Herodotus* Μῆνα (a recto Μὴν) *Menem vocavit.* Et ſic ad verbum, qui ſe hoc ex Euſebio deſcripſiſſe fatetur, Syncellus *pag.* 55. Sed quoniam Viro Clariſſimo viſum fuit etiam leviſſima quaeque

que ita acriter perſequi, quaſi in iis ſalus literarum ſita eſſet, hoc loco viciſſim ex eo quaeri poſſit, quo argumento probet, ſcriptum Herodoti codicem Mediceum, qui ſolus *Lib.* II. *cap.* 4. habet Μεῖνα, omnibus aliis, in quibus Μῆνα eſt, praeferendum eſſe? Nec non, cur deinde II. 99. inconſtantiam ſcribarum ſequutus ex eodem Μίνα & Μινὶ, ubi alii omnes ex ſuis Μῆνα & Μηνὶ, ediderit? Apud Plutarchum quidem in libro de *Iſide & Oſiri* in prima hujus nominis ſyllaba eſt diphthongus ει, & in Euſebii *Chronico pag.* 17. & Syncello *pag.* 91. vocalis ι: ſed tamen non facile cuiquam perſuadebit utramque ſcripturam ab ipſius Herodoti manu profectam, & plerique magis credent alteram earum, ſi non utramque, ſcribis deberi, & ex eadem pronunciatione vocalium η, ι, ac diphthongi ει ortam eſſe Verum haec, utpote ab inſtituto meo aliena, praetermitto. Nec neceſſe arbitror multa

de

de eo dici, quod paſſim Perizonium inſectatur, qui *Chronologiam Herodoti incertam ac falſam eſse* dicat, &, quod ad *pag.* 475. adnotavi, *multa de Cadyti & Magdolo verba faciat, ſed nihil promoveat.* Nam fruſtra alios reprehendas, ſi ipſe meliora ac certiora non doceas. Sed hoc non perinde factu facile, atque in proclivi eſt, ſententiam & inventa aliorum, ſi non ſemper certisſimis, at tamen probabilibus, quod plerumque in tam denſa caligine antiquitatis ſolum praeſtari poteſt, argumentis confirmata verbo rejicere, & quaſi uno ſpiritu difflare.

Invitus, fateor in hanc diſputationem ingreſſus ſum, & jam dudum taedet me his tam ingratis immorari, vellemque aut Viro Doctisſimo, & de literis praeclare merito, iſta non excidiſſent, aut mihi dicendum, quod res eſt, non fuiſſet. Sed non poterant ea hoc loco ſine praevaricatione praeteriri, & prae-

ſtandum erat officium Perizonio mortuo, quem vivum ob ſingularem eruditionem, & alias eximias animi atque ingenii dotes ſemper colui, mihique & meis amicum multis rebus expertus ſum. Quo minus mirum cuiquam videri debet, ſi hic quoque confutandos ſuſcipiam alios, qui poſt exceſſum illius vel inconſiderate ac temere quaedam ei parum honorifica divulgarunt, vel prudentes & iniquo, ut videtur, animo eum pro ridiculo publice traducere non veriti ſunt.

Res eſt mihi cum V. A. *Jo. Burchardo Menckenio*, & duobus *Anonymis Gallis*. Horum ille in *Declamatione I. de Charlataneria Eruditorum* de Actione injuriarum, quam ante annos plus XL. Perizonio intendit Huberus, *pag.* 93. *Edit. Amſt.* cIↃIↃCCXXVII. haec narrat: *Cum Perizonius illius* (Huberi) *Hiſtoriam Civilem paulo attentius conſideraſſet*, & prope mille errorum

reum

reum egisset autorem, *tum Huberus*, cum esset praeterea liberioribus verbis subinde lacessitus, *rem deduxit in forum*, *eoque*, *ut* erat in agendis causis exercitassimus, *adegit adversarium*, *ut* culpam deprecari ac pro illatis injuriis mulctam fisco inferre *juberetur*. Ex his alia parum accurata, alia perspicue falsa sunt. Non repetam hic altius initia & causas irarum ac simultatum inter eos, unde mox graves inimicitiae, & ad extremum lites apud judicem natae sunt: sed qui litigiosa illorum scripta legerunt, sciunt eas non primum inde ortas fuisse, quod Huberus *liberioribus verbis subinde lacessitus fuerat* a Perizonio. Nec Perizonius prior Huberum publice adgressus est, quod credidisse videtur Menckenius, sed hic illum, opposito *Dissertationi* illius *de Praetorio Commentario ad Titul. Dig. de Offic. Praef. Praet.* seu *Digressione de Praetorio*. Ita abrupta amicitia quum Huberus An-

 no

no cIↄ Iↄcxcii. *tres Tomos Historiae Civilis* emisisset, de integro bellum literarium inter eos ortum est, cujus signum, publicato *Specimine CXX.* non *prope mille*, etsi deinde ad illos CXX. plures accesserunt, *errorum ex primo Historiae illius Tomo*, sustulit Perizonius. Hoc quum aliquamdiu magnis animis, & editis utrimque non sine verborum contumelia duobus brevibus libellis, gestum fuisset, & Perizonius jam tertium ad arma venisset, Huberus aliam sibi illius finiendi rationem ineundam ratus adversario grandem dicam injuriarum apud Senatum Curiae Frisiae scripsit. Ea lite pendente Perizonius Anno cIↄIↄcxciii. Lugdunum abiit, &, quum ibi esset, sententiis majoris partis Judicum, ut tum fama erat, condemnatus Hubero pecuniam, quanta injuriae aestimatae fuerant, solvit, non *culpam deprecari*, nec *mulctam fisco inferre* jussus est. Erat enim judicium privatum, in quo neque

que Fiſco quidquam petebatur, neque ullae Patroni, aut Procuratoris Fiſci partes erant. Haec ita geſta eſſe ex ipſo Perizonio ſaepe audivi, ac deinde ex Fratre illius, Viro admodum Reverendo ac Doctiſſimo, *Gerardo Perizonio*, Eccleſiaſte Brielano, intellexi, & ex actis & inſtrumentis illius litis facile probari poteſt. Nec ſatis intelligo quid ſit, quod dicit Huberum *in agendis cauſis exercitatiſſimum fuiſſe*; quaſi cauſidicum ſcilicet, qui cauſas aliorum apud Judices agere ſolitus fuerit; quae uſitatiſſima, & forſitan ſola, hujus phraſeos ſignificatio eſt. Etſi enim ille tam patrii, quam Romani Juris, & rerum forenſium periтiſſimus erat, multumque de Jure reſpondebat, tamen, quod ſatis certo ex Oratione, qua defunctum laudavit Clar. *Vitringa*, colligitur, vel nullas, vel admodum raras in foro cauſas egit, nec multum in patrociniis ſuſcipiendis ac tuendis verſatus fuit.

 Illud

Illud quoque parum verum eſt, quod ſibi ab homine fide digno relatum eſſe ad hunc locum Declamationis Menckenianae ſcribit Interpres Gallus, *non damnatum fuiſſe Perizonium, niſi quod in Politica quadam ſciſſione contrarias ſecutus fuisſet partes, ut Arminius quoque.* Si is, a quo hoc ſibi relatum dicit, id ab alio accepit, potuit cum fide narraſſe, quae audierat; ſin autem ipſe narrationis illius auctor fuit, non aegre ferre debet, ſi dicamus eum in hoc fide dignum non eſſe. Quid illum, qui ſibi primus hoc tantum arcanum detexiſſe viſus eſt, in errorem ducere potuerit, facilius eſt divinare, quam dicere. Sed nemo praeter illum, ut puto, id reſciſcere potuit, nec aut mihi, qui eo tempore in Friſia egi, aut cuiquam alii, ni valde fallor, umquam fando auditum eſt, eam tum in factiones civiles, certe non quales olim aetate Arminii, & aliquanto poſt, in Bel-

gio

gio Foederato fuerunt, ſciſſam fuisſe, iisque Perizonium ſe immiſcuiſſe. Nihil aliud ergo relinquitur, quam ut hoc eodem numero, quo ſuperiora illa de exitu litis inter Huberum & Perizonium, habeamus, & ita exiſtimemus neutrum horum ſibi inquiſita & explorata retuliſſe, ſed utrumque fabulas vulgi, aut vanas conjecturas, non veritatem rerum geſtarum, ſequutum eſſe.

Anonymorum Gallorum, quos dixi, alter eſt Scriptor immenſi Operis, *Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire des Hommes Illuſtres*, alter Auctor *Articuli XVI. Tomi IX. de l'Hiſtoire Critique de la Republique des Lettres.* Ex his ille, quum *Tomo I.* ſtrictim de Vita & Morte Perizonii dixiſſet, de illius Tabulis Teſtamenti pag. 24. *Ed. Paris.* cIↄIↄccxxvii. ita ſcribit: *Il y avoit marqué le linge qu'on devoit lui mettre après ſa mort, ſuivant une coûtume aſſéz ordinaire en Hollande, & il*

il ordonnoit en même tems qu'après qu'il ſeroit expiré, on l'habillât, qu'on le mít ſur ſon ſéant dans une chaiſe, & qu'on lui fit la barbe; SOIN RIDICULE ET INDIGNE D'UN HOMME D'ESPRIT. Quae hic literis capitalibus expreſſa ſunt, illius judicium de hac parte ultimorum mandatorum Perizonii continent, cetera ad verbum ex *Hiſtoria Critica Reipubl. Literariae* deſcripta ſunt: quae jam tot annos tam patienter lecta, nec quemquam interim fuiſſe, qui ea falſi argueret, mihi monſtri inſtar videtur. Uterque eorum tota via aberrat, ſed in eodem errore verſantium diſpar culpa eſt. Nam hujus peccatum nullam excuſationem habet; illi falſa ab hoc ſumenti venia dari hactenus poteſt, quod non facile ſuſpicari potuit eum, qui haec in media Batavia ſcribere ſuſtinuit, non idoneum auctorem eſſe. Quis enim crederet quemquam de re recentiſſimae memoriae (nam

To-

Tomus IX. Historiae Criticae proximo post obitum Perizonii anno editus est) & in omnium oculis, ut ita dicam, gesta, ea prodere ausurum, in quibus certissimis argumentis falsi convinci posset? Et tamen, etsi hoc incredibile videtur, nihil nisi somniis similes fabulae sunt omnia, quae ille narrat. Nec quidquam moror auctoritatem illorum, a quibus haec secum communicata testatur. Benignum quidem est credere eum ab aliis accepta scripsisse: sed hi, quiqui illi fuerunt, vani ac futiles auctores fuerunt, nec ea, quae Testamento Perizonii comprehensa sunt, sed inanes & falsos rumores ad eum retulerunt; quibus quum credulitatem suam tam temere addixit, inconsideratissimae levitatis atque imprudentiae accusari merito potest. Cur enim, si primam Historiae legem, ne quid falsi diceret, observare volebat, non eos consuluit, a quibus facile, quid verum esset,

intelligere poterat? Cur non Fratrem Perizonii, penes quem authenticae Tabulae Teſtamenti ſunt, aut, ſi hoc commodo ſuo non poterat, aliquem ex Profeſſoribus Academiae Lugdunenſis, in cujus tabulario exemplum illarum adſervatur, adiit, & ex eo, quid in iis ſcriptum eſſet, ſciſcitatus eſt? quum praeſertim ipſe, quo tempore haec ſcribebat, Lugduni, vel certe in propinquo eſſet. Hoc ſi, quod debuerat, feciſſet, melius de Perizonio, quem alioqui juſtiſſimis laudibus ornat, meritus fuiſſet, nec plura falſa de aliis illius Teſtamenti capitibus retuliſſet. Sed de his, quoniam ab argumento, in quo verſor, ſejuncta ſunt, dicere ſuperſedeo. In iis, quae mihi hic confutanda propoſui, nihil omnino veri eſſe ne quis dubitare poſſit, hoc unum dixiſſe ſatis erit, Perizonium *nec de linteis, in quibus ſepeliri vellet; nec de radenda ſibi, quum exſpiraſſet, veſti-*

to,

to, & in ſella erecto corpore poſito, barba quidquam vel verbo, vel ſcripto, cuiquam mandaſſe.

Nec verius eſt, quod iidem illi vaniloqui homines ad fidem poſteriori fabulae faciendam commenti ſunt, cauſam tam novi & inſoliti mandati ei fuiſſe, quod imaginem ſuam, cui manus extrema nondum acceſſerat, perfici vellet, ut ea in Bibliotheca Academiae Lugdunenſis ſupra armarium, in quo libros Bibliothecae legatos collocari voluerat, poni poſſet. Nam ita narrare pergit Hiſtoricorum curioſiſſimus: *Ce dernier ſoin pourroit parôitre ridicule & indigne de* Mr. Perizonius, *ſi on ne faiſoit attention au deſſein qu'il avoit, qui êtoit que* Mr. de Moor, *qui avoit deja commencé ſon portrait, achevât de le tirer; afin qu'on pût mettre ſon Tableau au haut du Cabinet de livres qu'il léguoit à la Bibliothéque, comme il l'avoit ſouhaitté.* Haec eſt vere *Pergula pictorum,*

rum,&,ut ſine circuitione dicam, mendacio tectum mendacium, ne perplueret. Voluerat ſane ſe a celebri Pictore *Carolo de Moor* pingi Perizonius, eaque imago jam vivo illo, & nondum quidem in morbum, e quo obiit, implicito, ſed jam infirmo tamen & languente, inchoata, & jam plus quam delineata, vultusque ita plane expreſſus erat, ut ab omnibus, qui eum norant, agnoſci ſtatim poſſet; ſed claritas colorum, & ea, quae vivos quodammodo vultus faciunt, ad perfectionem operis deeſſent. Deinde ingraveſcente morbo Teſtamento cavit, *ut, ſi illa poſt mortem ſuam perfici poſſet*, de quo eum nonnihil dubitaſſe haec verba oſtendunt, *Pictor manupretium ex primo reditu legati acciperet, SI EAM INTRA ANNUM A MORTE SUA PEREGISSET.* Ex his quis non videt falſa eſſe omnia, quae in *Hiſtoria Critica* de hac re publicata, & haud dubie a plerisque pro veris habita ſunt? Nam

Nam quid opus erat addita illa in Teſtamento conditione, ſi ſtatim poſtquam exſpiraverat, & antequam ſepeliretur, abſolvi illam voluiſſet? Erat enim domi Pictoris, apud quem eam demum aliquamdiu poſt ſepultum Perizonium, qualem illo vivo inchoatam dixi, vidit illius Frater, qui quum Fratri complures ante obitum dies adfuerit, & mortuo funus fecerit, graviſſimus ac certiſſimus horum omnium teſtis eſt, & eſſe debet.

Quamquam autem, qui hoc primus in publicum effudit, notam inconſultae ac temerariae credulitatis, ut leviſſime dicam, effugere non poteſt, tamen malum animum ab eo abfuiſſe hoc argumento eſt, quod Perizonium magnis ac meritis laudibus extollit, & cavere voluit ne ultima illius mandata, quae ridicula videri poterant, labem exiſtimationi tanti Viri adſpergerent. Non eadem mens videtur fuiſſe Auctori *des Memoires*

pour

pour servir à l'Histoire des Hommes Illustres. Nam quod hic ea tamquam *curam ridiculam & homine intelligente indignam* notat, id non infirmam suspicionem animi malevolentia quadam in Perizonium suffusi, & consilii de existimatione illius detrahendi adfert. Cur enim, ni ita esset, ea tantum ex Auctore illo, cujus verba in Librum suum transtulit, describere voluit, quae illum ridiculum facere videbantur, non etiam, quae, ut huic judicio occurreret, Idem addiderat? aut cur, quod ille dixerat, *curam hanc ridiculam & Perizonio indignam posse videri iis, qui non considerent qua mente haec mandaverit*, ita mutavit, ut id in suum, sed in Perizonium contumeliosum, judicium converteret? Nec est, quod dicat, sibi, ut mandatum ipsum, sic etiam causam illius ridiculam visam fuisse. Nam si hoc ipsi ita videbatur, qui scire poterat etiam alios, quos eam ignorare voluit, idem, si cogni-

cognitam habuissent, judicaturos? quum nequaquam inauditum sit aliquem post mortem demum antequam sepeliatur pingi. Sed quoniam se, quum haec scribebat, jure suo in judicando uti haud dubie credidit, nobis quoque licere debet libere, quod sentimus, eloqui, ac dicere non laudabilis exempli rem esse, nec inter proprias notas ac laudes hominis ingeniosi & intelligentis habendum videri, ubi, quae ad irridendos & contemnendos alios pertinent, retuleris, & ex his ad tuum arbitrium ac lubidinem de illis judicaveris, ea, quae ad depellendam ab illis ignominiam acceperis, reticere, nec aliis itidem existimandi copiam facere.

Haec ad refellenda ea, quae de Perizonio perperam & falso prodita esse dixi, sufficere possunt: cujus existimationem quum mihi defendendam sumsi, simul & illi, quod debebam, praestiti, & ipse in ea, quam dudum habui, opinione confirmatus sum,

ſum, non poſſe non ſaepiſſime falli eos, qui temere omnia, quae ad alios in vituperationem, aut contemtum adducendos tradita ſunt, pro veris habent, ſi auctores eorum fide digni eſſe videantur. Nam ex iis, quae dixi, manifeſtum eſt, etiam hos qui maxime idonei auctores videri poſſunt, eo a veritate deflectere, quod illi inquirendae non eam, quam debebant, diligentiam adhibuerunt: hoc autem in uno deprehenſum etiam in aliis ſuſpicionem negligentiae illorum injicere poteſt. Sed hoc argumentum nunc, etſi facilis & larga materia eſt, pluribus non exſequar, ne, quem mihi praeſcripſi, modum Praefationis excedam. Vale, Lector, & Νᾶφε, καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.



JACOBI PERIZONII

ORIGINES BABYLONICAE.

PROOEMIUM.

ARDUI ſane & multis difficultatibus impediti laboris aggreditur opus, qui res Antiquiſſimi Temporis eruendas ſibi atque expediendas ſumit. Neque id mirari quempiam oportet. Nam quum illo ipſo Tempore pene nihil fuerit per literas memoriæ proditum, atque idcirco, quando Hiſtoriæ deinceps ſcribi jam cœperunt, ſuperioris ævi res, longe maximam par-

tem, vel ex incertis vulgi fabulis, vel summum ex πατροπαραδότοις narrationibus, sola subnixis, eaque lubrica prorsus & fallaci, hominum memoria, peti debuerint: facile hinc apparet, incerta necessario esse illius Temporis pleraque omnia, & ideo sæpe multis sententiarum divortiis intricata, & in diversum, immo aliquando in contrarium plane, abeuntia. Primum, quod servandæ rerum memoriæ inventum est adjutorium, fuit usus cantilenarum, quibus præcipua Heroum suorum vel totius Gentis facinora celebrabant plerique sane populi, sicuti in *Animadversionibus Historicis* cap. 6. compluribus docui exemplis. Sed ita tamen hæ cantilenæ rerum gestarum memoriam servabant & posteritati prodebant, ut inde originem inter Græcos certe traxerit non vera & certa Historia, sed illa, quæ Poëticis est fabellis aspersa & involuta. Unde & factum, ut Veteres ipsi distinxerint omne præteritum tempus in Ἄδηλον, *Obscurum*, ante ipsas elapsum cantilenas, de quo nihil omnino habebant cognitum; tum Μυθικὸν, *Fabulosum*, quod ex hisce cantilenis (quales fuerunt, teste Josepho lib. I. contra Apion. [a] etiam ipsa *Homeri carmina, non literis olim, sed memoriæ cantorum mandata*) po-

[a] *Pag.* 1034. *Edit. Colon.*

potiſſimum inveſtigari & cognoſci poterat; denique Ἱϛορικὸν, cujus jam notitia ex certioribus literarum Monumentis & Annalibus libris liquidius hauriebatur. Initium vero ducit Hiſtoricum hocce tempus rerum profanarum, in Oriente demum à Regno Perſarum, ſeu malis, à deſtructione Nineves: in Græcia ab Olympiadibus conſtitutis & in uſum Chronologicum receptis, vel potius ab Heraclidarum reditu in Peloponneſum: in Italia ab urbe Roma condita, ſi non demum ab eadem a Gallis capta, ſicuti volunt ipſi Livius VI. I. & Plutarch. in Numa.

Verum incerta ſint licet & obſcura pleraque, quæ de primis Orbis Conditi ſæculis traduntur a Profanis Scriptoribus; præcipua tamen eorum Capita, ex fabuloſis rerum ipſarum circumſtantiis eruta & protracta, vera haud dubie ſunt, nec abjicienda prorſus: quin immo, ſi cura modo & judicium, quod decernere valeat, quid diſtent æra lupinis, Hiſtorica Fabuloſis, adhibeatur, ſæpe ex iſta caligine liquidam effulgere videas lucem: arduam quidem illam inventu & indagatu, fateor, ſed tanto glorioſiorem, immo vero utiliſſimam & digniſſimam, quæ diligenter inveſtigetur, & Orbis Eruditi oculis exponatur. Hæc etenim ſcientia eſt, quæ no-

bis Origines plerarumque Gentium & Regnorum oſtendere valet, & quam plurimum etiam confert ad confirmandam S. Codicis & Hebraicæ Reip. Hiſtoriam, quæ ut antiquiſſima eſt ipſa, ſic & antiquiſſimas non ſuæ modo, ſed & vicinarum Gentium res & regna ſæpenumero commemorat. Ceterum non minima hic iterum oritur difficultas in conciliandis Sacris & Profanis Scriptoribus, quum de iisdem agunt rebus, dum eas aliis atque aliis circumſtantiis ornatas referunt, & homines ipſos diverſis plerumque Nominibus deſignant. Quapropter nihil alienum a meo Munere, nec abs re Hiſtorica, facturus videor, ſi diligentius paulo in res tam reconditas inquirere: nodos & difficultates in Vetuſtiſſima Hiſtoria nobis ſubinde occurrentes, quantum ejus fieri poterit, ſolvere; & Sacra ac Profana, liquido prius explanata, in concordiam probabilem reducere aggrediar.

CAP.

CAP. I.

Urbis Babylonicæ origo & antiquitas. Callistheniana annorum, ex quo observationes siderum factæ Babylone, Summa Scripturæ S. congruit. Vanissima immensæ antiquitatis ostentatio Chaldæorum. Plinii locus emendatus & expositus. Tatianus explicatur.

INITIUM non aliunde rectius ducam, quam ab *Urbis Babylonicæ* origine, quæ haud dubie omnium Urbium antiquissima, & ex qua primi Gentium Reges & Dynastae exorti. Ejus proinde conditae tempus, quantum potest, constituere primum & confirmare conabor. Moses itaque, Auctor antiquissimus, refert Genes. x. 25. & xi. 1. &c. homines ex terra *Sinear*, quæ est Babylonis, primitus dispersos fuisse in varias regiones, postquam *Urbs* istic ædificari cœpta, quae *Babel* fuerit dicta, *diebus Phalegi*, quippe qui ab illa dispersione & *terræ divisione* nomen hoc acceperit. *Dies* autem illi in sæculo post diluvium secundo ineunte sunt quærendi, ut in-

infra pluribus oſtendemus. Præterea Nimrodo, qui nepos Chami, tribuitur Gen. x. 10. jam tunc *regnum Babelis*, quod proinde in illius utique ætatem incidit. Diſertius Joſephus *Antiq.* i. 7. ubi diſperſionem hominum memorat, *Nimrodus*, ait, ὑπομείνας παρὰ Βαβυλωνίοις ἐτυράννησε h. e. *manens*, cum reliqui ſecederent in varios tractus, *apud Babylonios regnum obtinuit*. Idem firmant Curtius, aliique, qui a *Belo*, h.e. Nimrodo, conditam Urbem tradunt, de quo infra. Convenit cum hisce, ſeu iſta Temporis deſignatione, ſecundum vulgarem Chronologiæ ſacræ ſeriem, luculentiſſime, quod, quum Alexander M. Babylonem occupaſſet, Calliſthenes Philoſophus, Alexandri in iſta expeditione comes, inveniſſe dicitur ea in Urbe Chaldæorum obſervationes Aſtrologicas usque ad tempora Alexandri, χιλίων ἐτῶν, καὶ ἐννεακοσίων τριῶν, h.e. *Annorum* CIↃIↃCCCCIII. ut ex Porphyrio refert Simplicius lib. 2. de *Cœlo*. Jam vero ſi à tempore Babylonis ab Alexandro ſubactæ regrediamur per elapſa jam tunc ſæcula, deprehendemus, annorum iſtorum initium, juxta vulgatam Chronologiam, omnino etiam ad illam Nimrodi iſtius ætatem, & ad ipſos *dies*, ſeu natales, *Phalegi* eſſe referendum, ut qui Alexandrum M. præceſſerint ipſis pe-
ne

ne mille nongentis annis, ſeu quatuor tantum annis minus. Ego quidem Gerhard. Joh. Voſſium ſecutus, & Chronologiæ ſacræ poſt Abrahamum usque ad Salomonem tria plus minus ſæcula adjiciens, ad ſerius tempus, ſed tamen vel ſic ſatis antiquum, Abrahami ſcilicet ætatem, demitterem illud Babylonicarum obſervationum ſeu annorum a Calliſthene deſignatorum initium. Et ſane multo veriſimilius id reor, quam ejusmodi obſervationes, ſeptem annis ante Phalegi ortum, & ipſam diſperſionem, fuiſſe ab iſtis hominibus, adhucdum incultis nec uſu ullo edoctis, non tantum factas, ſed etiam in poſteritatis gratiam annotatas; id quod ab illius temporis rationibus eſt alieniſſimum. Adde, quod nonnulli Veterum tradiderint, ipſum Abrahamum *inveniſſe* demum *Aſtrologiam & Chaldaicam ſcientiam*, docuiſſe deinde *Motus Solis & Lunæ*, *aliaque ejus generis*, *Phœnices*, poſtea & *Ægyptios*. Vide Verba Alexandri Polyhiſtoris ex Eupolemo apud Euſeb. *Præpar.* IX. 17. Ea, ſi quid veri habent, illarum obſervationum uſum & annotationem ad tempora Abrahamo antiquiora referri haudquaquam patiuntur. Sed utcunque ea ſe res habeat, præclarum eſt, & Scripturæ S. congruens, illud Porphyrii, vel potius Calli-

ſthenis, teſtimonium, quippe quod vel in ipſam Babylonis primam originem in S. Codice memoratam confert, vel non longe infra eam locat, antiquiſſimum Chaldaicarum obſervationum initium.

Ceterum ſicut illud ergo fide eſt dignum, quippe a Philoſopho monitu Præceptoris ſui in eam rem diligenter inquirente, omnesque fallendi cauſas procul habente, profectum, ita longe præferri debet ceteris ejusdem populi, immenſam ſibi antiquitatem arrogantis jactantisque, Chronologiis vaniſſimis. Certe Cicero, lib. I. *de Divin. cap.* 19. & *lib.* II. *cap.* 46. tradit quidem, Babylonios jactare, ſe 470. *millia annorum habere monumentis* (ſcil. literarum) *comprehenſa*, & illa *poſuiſſe in periclitandis experiundisque pueris, quicunque eſſent nati*, atque hoc modo conſtituenda ſua ex Aſtris divinandi arte: ſed recte *mentiri* eos *judicat*, & *condemnat aut ſtultitiæ, aut vanitatis, aut imprudentiæ.* Similiter Diodorus Siculus *lib.* II. p. 118. *Ed. Rhodom. Multitudinem autem annorum, quibus ſe excoluiſſe tradunt* τὴν θεωρίαν τῶν κατὰ τὸν κόσμον, *obſervationem Mundi hujus, haud facile quis crediderit. Nam* 473. *millia annorum numerant usque ad tranſitum Alexandri* in Aſiam, *ex illo tempore, quo cœperint ſidera obſervare.* Videte, quam vere *fabu-*

loſa

loſa ſit *antiquitas*, quam illi homines oſtentarunt. At ſi tot tamen *Annorum Millia monumentis ſuis comprehenſa* jactabant, qui ergo fit, quod apud Plinium N. H. VII. 56. ex Beroſo & Critodemo dicantur, *Babylonii ſiderum obſervationes* 480. *annorum* tantummodo habere, numero longe etiam infra Calliſthenianam ſummam ſubſidente? Utuntur hoc Plinii loco Viri Eruditiſſimi, Scaliger ad Græca Euſebii *pag*. 407. extr. & Voſſius *de Hiſtoricis Græcis* [a]; tum Marshamus, *Sæculo* XVII. pag. 474. *Edit. Anglic.* [b] Hic quidem, ut Calliſthenis, vel Porphyrii, teſtimonium eludat, ſuamque de recentiore Babylonis origine ſententiam firmet; Illi, ut ex eo Beroſi ætatem, & editarum ab eo Hiſtoriarum annum ipſum eruant. Scilicet iſtorum 480. annorum initium ducunt omnes Hi ab æra Nabonaſſari, finem ſtatuunt in extremo regni & vitæ Antiochi Soteris, atque inde colligunt, hujus anno XIII. prodiiſſe illius Hiſtorias.

Sed profecto mendoſus eſt iſte Plinii locus, ut cuivis, eum ipſum inſpicienti, & attenta mente conſideranti facile patebit, & jam vidit ex duobus illis Ciceronis *in Divinatione* locis Doctiſſ. Harduinus. Etenim exponere vult Plinius *Literarum* origi-

a *Lib.* I. *cap.* 13.
b *Pag.* 504. *Edit. Lipſ.*

ginem & antiquitatem ex ſcriptis diverſarum Gentium, præcipue Aſſyriæ ſeu Babyloniæ, & Ægyptiæ. Quocirca præmittit, *Literas ſemper arbitror Aſſyrias* (malim *Aſſyriis* h.e. Babyloniis. Nam poſt Aſſyrios, a Medis & Babyloniis debellatos, Hi a Græcis aliisque, ad Occidentem ſitis, *Aſſyrii* quoque ſunt appellati, vel eorum quoque nomine ſunt deſignati, quin & ipſæ literæ Chaldaicæ ſeu Babylonicæ a Judæis ſemper fere *Aſſyriæ* vocantur. Perperam itaque Harduinus *Aſſyrias* hic interpretatur *Hebræas veteres ſeu Samaritanas*, quæ utique non *Aſſyriæ*, ſed Phœniciæ potius fuerunt. Adde, quod mox *Babyloniis* diſerte tribuitur tanta literarum antiquitas, unde appareat, *æternum fuiſſe literarum uſum*, h. e. *ſemper* eas *fuiſſe* Babyloniis ſeu *Aſſyriis*, quæ eadem ſunt. Taceo jam nullum eſſe idoneum ſatis in eo ſenſum, *literas ſemper arbitror Aſſyrias*, vel *Hebræas*, *fuiſſe*, qui in mea lectione eſt commodiſſimus, ut liquet, & mox iterum videbimus) *fuiſſe: ſed alii apud Ægyptios a Mercurio, ut Gellius; alii apud Syros repertas volunt*. Subjicit dein a Cadmo primum e Phœnicia in Græciam illatas, & poſtea varie auctas. Denique Antiquitatem earum jam probaturus hæc porro ſcribit: *Anticlides in Ægypto inveniſſe quendam nomine Memnona tradit*, XV. *annis*

ante

ante Phoroneum, antiquissimum Græciæ Regem, idque monumentis approbare conatur. E diverso Epigenes apud Babylonios 720. annorum Observationes siderum coctilibus laterculis inscriptas docet, gravis Auctor imprimis: qui minimum, Berosus & Critodemus 480. annorum. EX QUO APPARET ÆTERNUS LITERARUM USUS. Manifestum, induci hic Babylonios & Ægyptios Scriptores, quasi certatim primum & antiquissimum *literarum usum* & originem sibi vindicantes. Ægyptius ex monumentis Antiquitatum demonstrare conabatur, fuisse in Ægypto inventas aliquot jam annis ante ipsum Phoronea, antiquissimum Græciæ Regem, immo vero *primum Hominum*, scilicet in Græcia, si fides *Acusilao*, vel *Patrem mortalium Hominum*, si *Phoronidis Poëtæ*, apud Clem. Alex. *lib.* 1. *Strom.* [a] Ita ergo, quum Ægyptius, antiquissimis illis temporibus jam penes se fuisse literas traderet, *e diverso* Babylonii, neutiquam scilicet cedentes Ægyptiis, longe amplius idcirco annorum spatium proferre nunc debent, quo apud se in usu jam fuisse literas contendant, & quo proinde recepto, necessario collabatur Anticlidis sententia, nec ullo modo literarum inventarum & primum usurpatarum gloria penes Ægyptios manere queat. Hæc enim est

a Pag. 321. *Edit. Colon.* 380. *Ed. Oxon.*

eſt illa *diverſitas*, quam Plinius memorat. Verum neutiquam apparet ea ex ſummis Babyloniorum expreſſis, quippe quæ nimis profecto exiguæ ſunt, quam ut ad Phoronea aſſurgant, nedum *e diverſo* illius ætatem ſuperent: immo vero neque Cadmum attingunt, neque etiam, poſterior certe, vel minor, Homerum aut Heſiodum. Ex quo certiſſima eſt earum corruptio. Etenim non agitur hic de eo, quam antiquas *ſiderum obſervationes* habuerint Babylonii, ſed quam antiquum *literarum uſum*, quas tamen illi ad ſiderum obſervationes quoquo modo notandas primum, & jam dudum ante initia literarum apud Ægyptios, ex Auctorum iſtorum ſententia adhibuerint. Jam vero qui convenit, literis apud Babylonios ſeu Aſſyrios, unde ipſe Plinius originem eas duxiſſe *arbitratur*, tribuere ætatem, quæ aliquam multis ſæculis ſuperatur a prima earundem ætate non modo apud Ægyptios, ſed & apud Græcos, ad quos ex Oriente demum a Cadmo diu quidem poſt Phoronei, ſed tamen longe ante Nabonaſſari, tempus delatæ conſtanter traduntur?

Neque minus liquido convincitur Summarum falſitas ex epiphonemate vel concluſione, quam Plinius illis continuo ſubjicit: *Ex quo apparet æternus literarum uſus.*

Er-

Ergone ex 480. annis ante Alexandrum, vel Antiochum Soterem, atque Hujus extremos annos, ut volunt, liquet æternus ille usus, quum jam ante mille tunc annos cognitæ fuissent in Græcia? Immo vero clarum est vel solis ex his verbis, enormem summam debere statui, quæ tam vetustum literarum prodat usum, ut Lectores nihil amplius de origine earum, sed potius de *æternitate* cogitent, seu *æterno* apud Babylonios quidem *usu*. Et hoc est, quod etiam paulo ante videtur significasse Plinius, dum dixit, *Literas semper arbitror Assyriis fuisse*, h. e. fuisse apud illos in *æterno usu*, seu jam ab ipsis Assyriorum seu Babyloniorum primordiis. Quapropter nullus ego dubitem, majorem in modum augendas esse illas Babyloniorum apud Plinium Summas, & singulis adjiciendam; ut jam fecisse video ultimum Plinii Editorem, Celeberr. Harduinum, numeri Millenarii notam, quæ facile excidisse potuit: atque adeo illam Epigenis esse 720000. annorum, Berosi vero & Critodemi, 480. vel 490. ut habent MSti, vel potius 470. Millium annorum. Nam ita conveniet hæc posterior, vel proxime saltem accedet ad summam a Cicerone & Diodoro Siculo expressam, quos credibile est Berosum maxime secutos, siquidem ille præcipuæ

cipuæ fuit in rebus Babylonicis apud Græcos & Romanos auctoritatis, & non modo ipse erat *Chaldæus genere*, ut ait Josephus *lib.* 1. *contra Apion.* [a] sed & γνώριμος τοῖς περὶ παιδείαν ἀναστρεφομένοις, *notus illis, qui eruditionis studio occupantur.* Adde, quod Diodorus diserte tradat in Alexandri ætate illas annorum Myriadas finiri. Jam vero vixit ea ætate Berosus, & paulo post scripsit. Docet id Tatianus in Orat. adv. Gentes, *cap.* 58. Βηρωσσὸς ἀνὴρ Βαβυλώνιος, ἱερεὺς τῶ παρ᾽ αὐτοῖς Βήλυ, κατ᾽ Ἀλέξανδρον γεγονὼς, vel, ut Eusebius [b] γενόμενος: *Berosus Vir Babylonius, Beli, qui apud illos colitur, Sacerdos, qui tempore Alexandri exstitit.* Vossius in *Historicis Græcis* mavult vertere, *qui tempore Al. natus est.* Scilicet ut ita Berosus tanto facilius intelligi possit scripsisse demum suam Historiam sub Antiocho Sotere, τῷ μετ᾽ αὐτὸν (Ἀλέξανδρον) τρίτῳ, ut ibidem id tradit Tatianus, vel etiam sub Antiocho Theo, τῷ μετὰ Σέλευκον τρίτῳ, ut verba Tatiani refert Eusebius: tanto magis, quia & Pliniana annorum 480. summa a Nabonassaro repetita excurrit ad ultimos annos Ant. Soteris. Statuit itaque natum Berosum paulo ante mortem Alexandri. Sed inania hæc sunt. Nam, præ-

a Pag. 1043. *Edit. Colon.*

b Præparat. X. II.

præterquam quod corrupta ſit iſthæc Plinii ſumma, Tatianus paſſim eos, qui certo tempore *vixerunt* & floruerunt, dicit tunc γεγονέναι vel γενέσθαι. Sic ſeq. capite legas apud eum, *Amoſis* Rex Ægypti ἐγένετο κατ' Ἴναχον βασιλέα, h. e. *vixit temporibus Inachi Regis* Argivorum. Sed & Alexander Polyh. in verbis mox proferendis ſcribit ipſum Beroſum tradere, ſe γενέσθαι κατ' Ἀλέξανδρον τὸν Φιλίππȣ τὴν ἡλικίαν, ubi (niſi forte legendum ſit κατ' Ἀλεξάνδρȣ τȣ̃ Φιλίππȣ τὴν ἡλ. h. e. *tempore Alexandri*) ἡλικία notat virilem ſeu præcipuam Hominis ætatem, florem & robur ætatis, quæ proinde ætas ſecundum iſthæc Scriptoris illius verba, fuit Beroſo Alexandri tempore.

Sic plane ὢν ἔτι ἐν ἡλικίᾳ, h. e. *qui jam eſt in virili ætate*, ſeu *robore ætatis*, apud ipſum Beroſum in fragmento, quod nobis ſervavit Joſephus lib. 1. contra Apionem p. 1044. Vere autem ita ſe rem habuiſſe, h. e. vere Beroſum tempore jam Alexandri, non poſtea, *floruiſſe*, liquet clariſſime ex Syncello, qui *Chronographiæ pag.* 14. verba hæc Alexandri Polyhiſtoris, ſeu ipſius Beroſi, eodem, quo a me factum, interpretatur modo. Nam ait, Βηρωσσὸς ὁ τῆς Χαλδαϊκῆς Ἀρχαιολογίας συγγραφεὺς, ἀκμάσας κατὰ τȣ̀ς χρόνȣς τȣ̃ Ἀλεξάνδρȣ τȣ̃ Μακεδόνος, ὥς φησιν, *Beroſus Chaldaicæ Anti-*

qui-

quitatis Scriptor, qui FLORVIT temporibus Alexandri M. ut ipſe ait. Non ergo tunc demum *Natus eſt*, ſed jam *Floruit*, & ἐν ἀκμῇ τῆς ἡλικίας *in flore & robore ætatis* exſtitit. Idem poſtea *pag.* 28. eadem, quæ Euſebius, Alexandri Polyhiſtoris verba de, & ex Beroſo exhibet. Sed & diſerte refert Beroſum ad tempora ante Manethonem, qui Philadelphi Ptolemæi ætate vixit & ſcripſit: nam eum *ad Ptol. Philadelphum de Dynaſtiis Ægyptiacis ſcripſiſſe* ait pag. 16. D. κατὰ μίμησιν Βηρωσσȣ κατὰ τȣ̀ς αὐτȣ̀ς σχεδόν πȣ χρόνȣς, ἢ μικρὸν ὕςερον, *ad imitationem Beroſi, iisdem FERME Temporibus, vel paulo POST.* Et hinc *pag.* 18. Μανεθῶ μετὰ Βηρωσσὸν γενόμενος ἐπὶ Πτολεμαίȣ τȣ̃ Φιλαδέλφȣ, *Manetho poſt Beroſum exſtitit temporibus Ptol. Philadelphi*, quippe ad quem miſit, vel cui inſcripſit Manetho ſuum Opus. Hinc ergo apparet, quis verus ſit Verbi Γενόμενος ſenſus, ſeu non referendum illud ad natales Hominis, ſed ad mediam & florentem ejus ætatem. Liquet etiam ex his, Beroſum jam Senem edidiſſe ſuum opus, ſi id dedicavit Antiocho Soteri. Nam ut Antiocho Theo dedicaverit, vix patitur ratio temporis, ſi ſpectemus Philadelphum & Manethonem, ante quem ſua jam ſcripſerat Beroſus.

Porro autem confirmatur noſtra Plinii Emen-

Emendatio, certe Vulgata ejus Lectio clarissime refutatur, etiam ex ipso Beroso, seu fragmento Alexandri Polyhistoris apud Euseb. *Chronico Græco* P. 1. *pag*. 5. Βηρωσσὸς ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Βαβυλωνιακῶν φησὶ, γενέσθαι αὐτὸν κατ' Ἀλέξανδρον τὸν Φιλίππου τὴν ἡλικίαν, ἀναγραφὰς δὲ πολλῶν ἐν Βαβυλῶνι φυλάσσεσθαι μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας ἀπὸ ἐτῶν πȣ ὑπὲρ μυριάδων ιε περιεχούσας χρόνον. Περιέχειν δὲ τὰς ἀναγραφὰς ἱστορίας περὶ τοῦ οὐρανοῦ. &c. *Berosus in libro primo Babylonicorum ait, exstitisse se in ætate virili, tempore Alexandri, Philippi Filii; multarum autem rerum annotationes Babylone servari magna cum cura, tempus annorum, qui Myriadas* XV. *superant, continentes. Illas vero annotationes continere Historias de Cœlo & Mari, & prima rerum generatione, & Regibus &c.* Videmus heic, Berosum, neutiquam tantum 480. *Annorum* res literis esse proditas à Babyloniis, referre, sed e diverso tradere, *servari istic annotationes rerum multarum magna cum cura, continentes tempus annorum supra myriadas quindecim*, h. e. supra 150. millia Annorum. Si itaque Berosus ipse tot annorum accurata *multarum adeo rerum* monumenta superesse Babylone tradidit, ne credamus, eum factis istic *observationibus Siderum*, qua in re illi se præcipue jactabant, ut cum ex Cicerone, tum aliunde

B con-

constat, tantummodo 480. tribuisse annos. Hæc paulo fusius demonstrare fuit visum, ut fidem facerem certiorem Callistheniana Babyloniorum summæ, quæ tam pulchre convenit in Historiæ sacræ traditionem, & ut ostenderem, unicam modo esse ab illa discrepantem, eamque vulgari *vanitatis* vitio, h. e. nimio Antiquitatis ostentandæ studio, manifeste falsam. Tanto autem studiosius id feci, quia, si verus foret & integer ille Plinii locus, atque illa annorum apud eum summa, tum sane ista Babylonicarum observationum Chronologia, seu Epigenis, seu Berosi & Critodemi, reliquis præferretur haud dubie: & recte quidem; quia quo quæque est modestior & astrictior, tanto eadem est verisimilior, & fide dignior. Ita vero Callistheniana, quæ Plinianam istam quamplurimis superat sæculis, jacuisset pene prorsus abjecta, certe suspecta foret vehementer; id quod ut pateremur, non erat temere committendum, quum non modo aliud ipsius utilitas exigere videretur, sed & tam facile, certa, ut arbitror, crisi, in quem merebatur locum fidei restitui illa posset.

CAP. II.

Babylonicæ Cœlestium Observationum Epochæ causa & initium. Quare non fuerit antiquior, vel non ascendat supra Nabonassari ætatem. Nihil facit ad evertendam Porphyrii de Callisthene traditionem. Marshami & Clerici socordia in explicando Plinii loco.

NON temere hæc a me dicta & acta, probant abunde Viri Eruditissimi ex Anglia, Marshamus, & Dodwellus, tum Stanlejus *Phil. Orientalis* I. 1. 1. & Clericus in Indice Philologico, quo se Stanleji Opus *illustrasse, emendasse, & supplesse* jactat. Vide Eum istic in voce *Babylonicæ*, & in v. *Berosus*. Omnes hi pariter Callisthenianam aspernantur & rejiciunt annorum summam, falsamque illam Berosi ex corrupto Plinii loco unice recipiunt, atque hujus auctoritate istam evertere laborant. Clariss. Dodwellus in *Append. ad Dissert. Cyprianicas* §. 24. *cum Vossio & Marshamo omnino existimat, non esse aliunde annos illos* Berosi apud Plinium, *quam a Nabonassaro, numerandos*, & *Berosum*

ſum tradit *meminiſſe primum Epochæ Nabonaſſareæ*, ſeu, ut §. 26. ait, iſtius *Canonis primum fuiſſe editorem*. Idem vero §. 23. tum hunc Canonem, tum quod *Syncellus ex Beroſo & Polyhiſtore Alexandro* hanc cauſam initii iſtius Epochæ à Nabonaſſaro demum ducti *referat*, *quod geſta ſuperiorum Regum Nabonaſſarus ipſe corruperit*, *ſufficere* affirmat *ad ipſius Beroſi & Polyhiſtoris fidem elevandam*; rogitans, *unde ergo illi tam immenſam hiſtoriarum ſeriem procuderint Nabonaſſaro antiquiorum?* Et mox ad Calliſthenem progreſſus, *unde & illas Aſtronomicas Calliſthenes habeat obſervationes*, *quarum meminit Simplicius*, *annorum ante Alexandrum M.* 1903. *quas ad Ariſtotelem fabulatur etiam à Calliſthene miſſas?* Sed quis credat, Beroſum, ut de eo primum agamus, ſecum ipſum adeo manifeſte & imprudenter collidi, ut ab una parte iſtius Epochæ, quam ipſe primus ediderit, initium ideo repetat demum à Nabonaſſaro, ſeu ab annis 480. quia ſuperiorum Annorum & Regum res geſtæ per illum penitus ad ſuum tempus usque interciderint; ab altera vero parte tradat, Babylone ſervari annotationes accuratas rerum ſupra 150. millia annorum? Ediderit ſane Beroſus in Græcos omnium Primus hanc Epocham: non inde ſequitur, eum illius quoque Aucto-

rem

rem fuiſſe primum, ſeu Primum Aſtronomicas Babyloniorum obſervationes in ordinem redegiſſe, & annis Regum aptaſſe; multo minus, originem ipſam iſtius Epochæ deberi Beroſo. Immo vero, ſi fides Syncello, [a] *collegit ſuperiorum Regum res geſtas*, non, Obſervationes cœleſtes, *&* (ἠφάνισε) *abolevit Nabonaſſarus, ut ita Regum Chaldæorum Enumeratio initium ab ipſo ſumeret*. Quid ergo? jamdudum ante Beroſum videtur hæc Epocha cœpiſſe, & eam repetiviſſe à Nabonaſſaro, non Beroſus demum, ſed Babylonii Aſtrologi, qui poſt Nabonaſſarum vixere. Quin immo, quum videamus, Nabonaſſarum ipſum conſulto præbuiſſe cauſam, quare ab ſe inciperet hæc Epocha, quid obſtat, quo minus credamus & ſtatuamus, illum publico in loco poſuiſſe & fixiſſe Album, vel Annales (quales & Romæ primis temporibus confecere Pontifices) in quibus & ipſe coeperit annotare obſervationes ſiderum, & ceteri dein Reges, ipſius poſteri, ſimiliter annotaverint? Sic certe idoneam habebimus rationem Epochæ, dudum ante Beroſum jam inſtitutæ, & ab Nabonaſſaro demum cœptæ. Sed quærit jam Vir Eximius, unde ergo Beroſus antiquiora illa hauſerit; immo & unde Calliſthenes ſuas habuerit obſervatio-

 nes?

[a] *Chronograph.* pag. 207.

nes? De Hoc agemus in ſequentibus. At Beroſus ipſe viderit, quid & quantum fidei tribui ſibi velit. Nam certe vanitatis nos quoque palam eum arguimus in immenſo illo annorum, immo myriadum, numero. Sufficit nobis probaſſe, immenſum illum annorum numerum, quem Cicero & Diodorus expreſſerunt, vere ab ipſo dici proditum, atque adeo Plinio quoque reſtituendum, neque vero in hujus Plinii verbis eſſe aliquid vel minimum, quod Nabonaſſari Epocham reſpiciat. Crediderim autem etiam apud Alex. Pol. vel Euſebium numeros *Myriadum* fuiſſe corruptos, & pro IE legendum M. hoc eſt, *quadraginta*, vel MZ. hoc eſt, *quadraginta ſeptem*, ut cum Cicerone & Diodoro itidem magis congruant.

Sed tamen, re accuratius penſitata, nihil in his mutandum jam cenſeo, quia varius eſt Numerus *Myriadum* Chaldaicarum, Epigeni LXXII. Beroſo & Critodemo apud Plinium XLVIII. Babyloniis apud Ciceronem & Diodorum XLVII. Beroſo apud Alexandrum Polyhiſtorem XV. Hinc Syncellus pag. 34. eleganter dicit τὸν τῶν ἐτῶν Μυριαδισμὸν ἀλληγορήσαντες, h. e. *Myriadas annorum alio ſenſu interpretantes*, de totidem ſcil. diebus. Et p. 35. τὸν Μυριαδισμὸν τῶν Χαλδαϊκῶν ἐτῶν. Accedit vel potiſſimum, quod

quod Syncellus eadem verba Alexandri Polyhiſtoris ex Beroſo, & longe copioſius, adfert pag. 28. inque iis diſerte etiam has ipſas IE. h. e. XV. myriadas. Quid ergo ſentiendum de illis XLVII. vel XLVIII. Myriadibus, quas ex ipſo Beroſo tamen memorat Plinius, memorant & alii? Nam & Africanus apud Syncellum p. 17. ἢ τὸν τῶν Χαλδαίων λῆρον, τὸν τῶν Τεσσαράκοντα ὀκτὼ μυριάδων, τί δεῖ λέγειν; *aut quid opus eſt, ut commemoremus Chaldaicas nugas* XLVIII. *myriadum?* Verum varia videtur fuiſſe Ratio Chaldaicarum iſtarum Myriadum, tanto magis, quoniam Alex. Polyh. ex ipſo hoc Beroſo eodem in loco apud Syncellum p. 30. etiam longe plures, quam XV. Myriades, ſeu Myriades XLIII. commemorat. Non ergo in his contradictio, ſed diverſitas quædam, ineſſe videtur. Nempe jactavit Beroſus *ſervatas diligenter* Babylone multarum rerum annotationes XV. myriadum: reliquarum ergo & antiquiorum myriadum alia apud ipſum eſt ratio. Nec enim omnia iſtius temporis tam *diligenter* annotata aut ſervata voluit dicere. Sed tamen quum ipſe multa ejus quoque temporis ab ipſa usque mundi origine oſtentet, liquet ex eo, jactaſſe ergo eum rerum etiam in illis myriadibus geſtarum aliquam ſcientiam. Nihil itaque mirum, cœleſtes

 obſer-

obſervationes, quibus ſe maxime efferebant Babylonii, affirmaſſe Eos, ab ſe haberi proditas literis jam ab ipſo rerum initio, in primis quum primo ſtatim mundi Anno finxerint ex mari Erythræo emerſiſſe Oannem, qui ſibi tradiderit γραμμάτων, καὶ μαθημάτων καὶ τεχνῶν παντοδαπῶν ἐμπειρίαν, *literarum, & ſcientiarum, & artium variarum peritiam*; ut refert Alex. Pol. ex Beroſo apud Euſebium *Chr. Gr.* p. 6. Ceterum illæ XLVII. vel XLVIII. Myriades repetendæ ſunt ſecundum Beroſum ab ipſa rerum origine. Nempe ab Aloro, qui eſt Adamus, usque ad diluvium ſub Xiſuthro tradit effluxiſſe annorum *myriadas* XLIII. ac *duo millia*. Vide Alex. Polyh. apud Euſebium d. l. & Syncellum p. 30. Hinc jam poſt diluvium (in quo tamen res ſuperioris temporis, ne quis intercidiſſe eas putaret, juſſu Dei ab ipſo Xiſuthro conſcriptæ (vide Euſebium pag. 8. & Syncellum pag. 30. 31.) Sipparis dein defoſſæ, & ſic ſervatæ, ac poſt diluvium denuo effoſſæ, ad notitiam poſterorum deveniſſe finguntur) Alexander ille denuo fabuloſos Reges usque ad Euechoum memoravit, quibus tribuit annorum Tres Myriadas & Millia Quatuor, ac LXXX. annos. Vide Syncellum *pag.* 78. Sic jam habemus XLVI. Myriadas, & Sex Millia,

ac præterea annos octoginta, usque ad Euechoum, à quo usque ad Mortem Alexandri Magni reliquum, quod adhuc deest illis XLVII. vel XLVIII. Myriadibus, facile explere potuit Berosus, Scriptor prorsus inepte & unice deditus extollendis Gentis suæ Antiquitatibus; quo nomine passim ab illis ipsis, qui ejus fragmenta nobis ingerunt, accusatur. Certe ad Myriadas XLVII. explendas desiderantur tantum anni 3920. quæ summa non adeo longe ultra vulgatam, de spatio & duratione temporis ab Euechoo, seu Nimrodo, ad Alexandrum usque, sententiam excurrit, atque ideo valde probabile est, eam ab illis Auctoribus, qui tempora ita augere & in immensam proferre Antiquitatem studuerunt, isti intervallo attributam.

Sed revertamur tandem ad propositam quæstionem; unde, scilicet, Berosus & Callisthenes sua hauserint, si Nabonassar superiorum Regum res gestas aboleverit, idque ita, ut idcirco Epochæ Babylonicæ Cœlestium Observationum initium ab ipso demum & ejus Regno debuerit etiam postea repeti. Hoc vero si maxime sit verum, & a Beroso ipso traditum, nihil tamen vel sic in eo erit absurdi, si tunc dicamus, Berosum potuisse quædam scire, suo tem-

pore iterum jam investigata & reperta, quæ antea jacuerant aliquandiu suppressa & occultata. Enimvero sæpe id utique accidit, ut antiquiorum scripta & annotationes aboleantur, ita ut videantur prorsus periisse, quæ tamen aliquandiu postea ex situ & tenebris iterum protrahuntur, & multo studiosius tunc describuntur & lectitantur. Cordi Cremutii, aliorumque, libros sub Tiberio *SCtis abolitos* & *per Ædiles crematos* novimus: iidem tamen *manserunt occultati*, & sub Caligula iterum sunt *requisiti*. Vide Suet. *Calig.* 16. & Tac. *Ann.* IV. 35. Herodes quoque, ut ex Africani Epistola ad Aristidem refert Euseb. *Hist. Eccles.* I. 7. *conscius sibi suæ inter Judæos ignobilitatis, incendit eorum* τὰς ἀναγραφὰς τῶν γενῶν, *genealogicas tabulas*, ad id usque temporis ἐν τοῖς ἀρχείοις servatas: sed vel sic nonnulli partim *ex memoria*, partim *aliunde*, eas dein sibi restituerunt, ut vel ex genealogiis Servatoris nostri liquet. Quidni ergo similiter à Nabonassaro potuerint suppressa esse superiorum Regum acta, deinde vero iterum inventa, & in usum publicum protracta, atque à Beroso, qui quingentis circiter annis post scripsit, memorata?

Quare ergo à Nabonassaro demum incepit etiam postea mentio Babyloniorum

Re-

Regum, prioribus perpetua oblivione ſepultis, ut & ſeries Canonis Ptolemaici? Nam, ut ſcribit Cl. Dodwellus §. 24. *Probabile eſt, Epocham, omnium antiquiſſimam, earum ſcilicet, quæ aſtronomicis obſervationibus fuiſſent inſignitæ, in hunc uſum ab Aſtronomis delectam.* Sed haud dubie Nabonaſſarus ipſe, ſi credimus Syncello, cauſam dedit, *ut enumeratio Regum Chaldæorum ab ipſo dein initium ſumeret*, & talem forſan, qualem modo diximus, & quam poſteriores mutare vix potuerunt. Verum ſi maxime hæc Epocha & Series cœptæ & inſtitutæ primum fuerint ab Aſtrologis aliquanto poſt Nabonaſſarum, tum vero dicendum, ſicut apud Græcos aliud fuit tempus Certioris & Chronologicæ Hiſtoriæ, aliud Fabuloſæ, & idcirco *Hiſtoricorum præcipui ab antiquioribus abſtinuerunt, recentiora aggreſſi ſunt*; veluti *Ephorus Cumanus, qui, quum res publice geſtas ſcribere vellet, antiquas omiſit fabulas, Hiſtoriæque ſuæ initium fecit à reditu Heraclidarum*, teſte Diodoro Siculo *lib.* IV. *init.* ſic forſan & apud Babylonios Certiorem Hiſtoriam ſeu Chronologiam à Nabonaſſaro cœpiſſe demum, at ſuperiora Fabulis fuiſſe implicita: id quod ex immenſa illa Antiquitate, quam jactabant, ſic ſatis patere videtur. Hæc ergo ratio fuiſſe potuit,

tuit, quare & ab illo demum inceperit ordo Chronologiæ Babylonicæ in Græcos editæ; quæ dein, quia tempore Alexandri M. jam per 400. † aut circiter, annos recepta erat, ideo neque tunc aliunde commodius accipere initium potuerit. Plane ſicuti iterum apud Græcos Olympiadum Epocha primum ab illis inducta eſt Chronologicum in uſum, quia tunc aſcendere non poterant ultra, ſeu ſupra XXVIII. Olympiadem, quam idcirco Primam illius Epochæ fecerunt. Quamvis autem poſtea fuerit deprehenſum & ſatis cognitum, minus recte id ita factum, vel ſic tamen Duodetrigeſima illa manſit etiam deinceps Epochæ iſtius Prima. Ratio ejus rei erat, quod poſt illud tempus demum diligenter cœperit annotari, quis in ludis Olympiis identidem victor fuiſſet ſtadii (vide Euſebii *Chron. Gr.* P. 1. p. 39.) id quod de ſuperioribus XXVII. Olympiadibus Chronologi non ita perpetuo ordine, ne in Scriptoribus quidem Hiſtoriarum,

† Pro *aut circiter*, reſcribe *& amplius*: ut ſenſus verborum tanto propius & clarius deſignet amplitudinem intervalli. Sæculo enim quinto poſt Nabonaſſarum cœpit Alexander regnare, & eodem ſæculo mortuus eſt, ſucceſſitque ei Seleucus, & huic Antiochus Soter, ſub quo Beroſum volunt, ex Tatiano, ſcripſiſſe Babylonica. *Addend.*

riarum, reperiebant designatum, nec proinde ipsi designare poterant, quum tamen Chronologicæ Olympiades, quando primum cœpta est hæc Epocha, non aliter quam per Victores stadii designari solerent, adeo, ut diceretur non, *Prima*, *Secunda*, &c. *Olympias*; sed *Olympias*, *qua vicit Corœbus*, *qua vicit Antimachus*, *&c.* Ita vero & Nabonassareæ Epochæ initium si Astronomis post Nabonassarum, ut diximus, non ipsi Nabonassaro, adscribendum, tum vero & illi dici possent, etiam hac ratione a Nabonassaro demum incepisse Epocham, nec aliis postea repertis & cognitis jam tempore Callisthenis siderum observationibus auxisse, vel in altius tempus eam extulisse; quia a Nabonassari tempore demum cœperint diligentius, quam antea, observari sidera, eæque observationes publice & publico in albo annotari. Docet id nos idem Syncellus, sed & ipse Ptolemæus. Ille enim p. m. 206. Græcos ait fateri, istam Nabonassari Epocham esse πάντων ἀκριβεστέραν, *præ omnibus* aliis *accuratam*; quia, ut dein p. 207. tradit, *Chaldæi* demum *a Nabonassaro tempora motus astrorum diligenter observarunt*, vel *annotarunt*, ἠκρίβωσαν. Habuerunt ergo aliquas sine dubio priorum temporum quoque observationes, sed non ea

ἀκρι-

ἀκριβείᾳ in literarum monumenta relatas, ut ex iis perpetua posset earum constitui series. Similiter Ptolemæus *lib.* III. Μαθημ. συντάξεων, cap. 5. ait, *se Epochas deducturum usque in initium Regni Nabonassarei*, ἀφ' ὗ χρόνου (pergit) καὶ τὰς παλαιὰς τηρήσεις ἔχομεν, ὡς ἐπίπαν μέχρι τοῦ δεῦρο διασωζομένας, *a quo tempore etiam antiquas observationes habemus*, *prorsus*, vel *in universum*, *ad hæc tempora servatas*. Dici hæc non poterant de Observationibus ante Nabonassarum factis; quippe quæ non erant ita ἐπίπαν servatæ, & ideo in Epocham hanc neque postea admissæ. Adde jam his, quod Nabonassar non tam delevit observationes siderum jam ante sua tempora factas, quam memoriam Regum, *ut ab se inciperet enumeratio Chaldæorum Regum*, & ita in perpetuum servaretur sui Albi, seu suorum publicorum Annalium, unde Epocha illius est orta, initium. Nam quum dein in hac Epocha tempus designaretur per annos Babyloniorum Regum, illorum autem, qui ante Nabonassarum fuerant, memoria & nomen jam esset exstinctum, non potuerunt satis commode antiquiores siderum observationes neque postea in hanc Epocham referri, quia annus earum solita per Reges illos designatione exprimi non poterat. Nihil tamen hoc impedit, quo mi-

minus etiam ante Nabonaſſarum variæ revera fuerint factæ obſervationes, eæque usque ad tempus Alexandri a Chaldæis ſervari, & ad certum tempus, ſed alia ratione deſignandum, referri potuerint.

Poſſit forſan etiam hoc ſpecie quadam dici, Nabonaſſarum non omnium ante ſe Regum, ſed quorundam tantum ante proximos ſibi, aboleviſſe res aut facta, ut ita ſeries Regum & Annotationum Aſtrologicarum eſſet interrupta, & ab ſe nova dein tanto rectius inciperet. Conjecturæ hæ ſunt, fateor; ſed conjecturis utendum eſt, ut in concordiam diverſa Beroſi redigamus fragmenta, quum ipſum Auctorem non habeamus, nec poſſimus verba verbis, loca locis conferre, & ita Beroſum ex ipſo Beroſo explicare aut illuſtrare. Sed &, ut dicam, quod ſentio, vix poſſum mihi perſuadere a Beroſo profecta aut ſcripta, quæ Syncellus p. 207. tanquam ex Alexandro Polyhiſtore & Beroſo refert, Nabonaſſarum *colligentem* τὰς πράξεις τῶν πρὸ ἀυτȣ̃ Βασιλέων ἀφανίσαι, *actiones Regum, qui ante ipſum fuerant, aboleviſſe, ut ita*, quod addit, *ab ipſo* potiſſimum *fieret* ἡ καταρίθμησις τῶν Χαλδαίων Βασιλέων, *enumeratio Regum Chaldæorum.* Nam quo tandem modo potuit proximorum ante ſe Regum nomina & actiones ex Babyloniorum ſuorum me-

memoria delere, quum essent utique in recenti tunc omnium memoria, & post unius Nabonassari mortem, per tot alios ad posteritatis quoque memoriam possent quoquo modo propagari. Dein neque cohæret satis, Berosum illa ipsa de Nabonassaro ita absolute dixisse; & tamen in eodem opere tradidisse (Vide locum supra pag. 17.) *Babylone annotationes plerarumque rerum a* XV. *Myriadibus annorum usque* φυλάσσεσθαι μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας, *servari*, quasi suo adhuc tempore, *magna cum cura*, & ex iis Annotationibus dein exhibere suis Lectoribus Nomina & actiones quasdam antiquissimorum Regum. Porro neque illud probabile, Berosum repetere a Nabonassaro demum initium Observationum cœlestium, & hac quidem ratione, quod res superiorum Regum, atque adeo has quoque Observationes vel maxime, quippe de quibus in Nabonassarea Epocha constituenda potissimum agitur, ille aboleverit; & tamen jactasse Eum suis in Libris, Babylonios *Observationes siderum* ab annorum 48. Myriadibus habere *inscriptas coctilibus laterculis*. Quid ergo? Satis videtur manifestum, isthæc de Nabonassaro apud Syncellum non fuisse sic a Beroso tradita, vel certe conjecturis, qualibus usus sum ad componendam illam in Beroso discrepan-

pantiam, hic esse indulgendum. Sed neque crediderim rem ipsam, genuinam scil. hanc esse & veram, cur a Nabonassaro demum inceperit hæc Epocha, causam, quam Syncellus quasi ex Beroso memorat; immo e contrario confictam potius eam arbitrer & inventam a posterioribus, qui causam, quam non inveniebant memoriæ proditam, ipsi ex conjectura voluerint comminisci. Nam certe absona est & ab rerum usu aliena, siquidem Nabonassarus neque scire tunc potuit Epocham quandam ex serie illarum Observationum dein orituram, certe non, tam celebrem illam per orbem terrarum & tam diu fore, neque vero, eam suo potissimum nomine, seu magis suo, quam ipsius Urbis, aut Chaldæorum nomine, a posteris insignitum iri. Ea autem prævidisse jam tunc debuisset, si hac in re æternitatem nominis sui adeo quæsivisset & spectasset, ut idcirco priorum Regum res & observationes abolere voluerit, quod ipsum, ut modo diximus, fieri tam facile haud potuit, certe non ita, ut non mox illæ a Successoribus ejus, aut Chaldæis Astrologis, potuerint facillime restitui. Longe itaque verisimiliora sunt, quæ paulo ante attuli; Scilicet, vel Nabonassarum ipsum constituisse in publico & Sacro loco Album aut

Annales, in quibus & ipſe primus ſolenniter ac diligentius cœperit ſingulas ſiderum obſervationes annotare, & dein ſucceſſores quoque ejus easdem annotaverint, quia iſthoc modo certius ad longæ poſteritatis memoriam Obſervationes illæ propagari poterant; vel Aſtrologos Babylonios aliquanto poſt Nabonasſarum collegisſe hanc Seriem Obſervationum, & non aſcendisſe tunc ultra Nabonasſarum, quia non reperiebant ante ejus tempora continuam & ſatis accuratam illarum annotationem, ſicuti ab ejus tempore habebant: qua ipſa ratione oſtendimus Epocham quoque Olympiacam non aſcendere usque ad vera Olympiadum initia, ſed tantum usque ad Olympiadem XXVIII. Quæ Viri Docti adfirmant, per cauſam hujus Epochæ, de Nabonasſaro, vellem probare potuisſent. Sic enim aliam haberemus & ſpecioſam ſatis rationem Epochæ novæ ab illius regno potiſſimum derivandæ. Certe Scaliger ad Fragm. Veterum *Emendationi Temporum* adjecta pag. 41. *Nabonaſſar*, ait, *videtur primus jugum Medorum, qui in Aſſyria regnabant, excuſſiſſe*. Usſerius contra, [a] Nabonasſarum putat fuisſe Beleſin, adjutorem Arbacis Medi contra Sardanapalum, & ita illum per Arbacen accepisſe regnum Baby-

[a] In *Annalib.* ad A. M. 3257.

Babylonicum. Sed longiorem nobis narrat fabulam Doctiss. Abbas Pezronius *Antiq. Temp. rest. Cap.* 12. p. 144. ubi Nabonassarum tradit a Babyloniis ab ipso incitatis factum Regem, ut excuteret jugum Medorum, dum hi bello contra Cadusios gerendo essent impliciti. Atqui ne γρὺ quidem apud quenquam Veterum legitur de hoc Babyloniorum bello contra Medos, aut tali Regni Nabonassarei initio, quippe de quo ipso Homine & Rege nihil prorsus sciremus, absque hac esset Epocha, quæ tamen solum Hominis Nomen, nec quidquam aliud, nobis servavit. Quin & Medi hoc ipso tempore, tantum abest, ut imperium in Babylonios obtinuerint, ut e contrario Assyriis adhuc essent subjecti. Decepti sunt omnes a Ctesia, cujus illi Chronologiam temere nimis recipiunt. Sed & ex iis, quæ Syncellus de Nabonassaro ex antiquioribus refert Scriptoribus, satis refutantur Viri Docti, siquidem ille superiorum utique Regum Historiam dicitur abolevisse, ut sic Series Regum & Historiarum ab se deinceps inciperet. Qui, quæso, illi Reges? An Medi? An Assyrii? At quomodo eorum Historiam & res gestas potuit Babylonius abolere? Satis apparet designari istic Reges, non peregrinos aut exteros, sed vere Babylo-

nios, quibus ſucceſſerit Nabonaſſarus. Non ergo Beleſis ille fuit, nec primus, excuſſo Aſſyriorum vel Medorum jugo, ſuæ Gentis aut Urbis Rex. Quin & hic ipſe, ſi vere Novus & Primus Patriæ per ſe liberatæ fuiſſet Rex, non aliunde tunc quæſiſſet hanc gloriam, ut ab ſe dein Regum Chaldæorum inciperet Series, quippe quæ neceſſario incipere ab ipſo jam debebat, prout ſemper a Novis ejusmodi Regibus ducitur nova Regum ſeries, & plerumque Nova etiam Gentis Epocha. Habemus ejus rei exempla in Nabopolaſſaro, Cyro, Alexandro, Auguſto. Inanes ergo ſunt hæ conjecturæ, quæ in ipſam veterum incurrunt Hiſtoriam.

Ceterum, quæcunque tandem fuerit cauſa, quare a Nabonaſſaro inceperit demum hæc Epocha, liquet abunde ex his omnibus, potuiſſe Calliſthenem habere aut inveniſſe Babylone obſervationes ſiderum, a Chaldæis dudum ante Nabonaſſarum factas, licet non continuas, nec æquali diligentia aut perpetua ſerie tunc annotatas, atque adeo ex hujus Epocha nihil magnopere ad ſubvertendam illam Calliſthenis Chronologiam poſſe extundi aut elici. Liquet etiam, licet Beroſus memoraverit illam Nabonaſſari Epocham, & ſuppreſſa ab eo tradiderit ſuperiorum Regum acta, de quo tamen valde dubito, nihil eo vel ſic juvari vul-

vulgatam Pliniani loci lectionem; quippe in quo agitur, non de certioribus Historiæ monumentis, sed de ultima Literarum antiquitate, & vetustissima cœlestium motuum annotatione. Quod vero Vir Doctissimus etiam Callisthenis fidem in hoc negotio arguit auctoritate Strabonis, id vero factum nollem. *Scriptorum*, inquit, *qui res gestas Alexandri memoriæ mandarunt, fidem sugillat Strabo & Arrianus, & quidem ita, ut ne ipsum Callisthenem Strabo lib. 8.* [a] *ab eo subleste fidei crimine absolvat.* Etenim Strabo nihil istic de rebus Alexandri, aut earum Scriptoribus, nihil de hac Callistheniana tot annorum summa memorat, sed tantum, quod ad Tyrtæum Poëtam, & Ducem Lacedæmoniorum contra Messenios, *aut antiquis Elegis* fidem negandam ait, *aut Historicis* (πλείοσι) *compluribus*, *Philochoro*, *Callistheni*, *aliisque*, qui eum ab Atheniensibus missum tradiderint. Quid quæso hic locus, quid hæc verba ad præsentem controversiam? quid ad Callisthenis fidem in universum elevandam? Eam utique neque Strabo illi derogat, sed incertum relinquit, utrum in re Laconica Elegis, an Historicis, sit deroganda. Callisthenem autem Diodorus e contrario inter πρωτεύοντας τῶν ἱστοριογράφων

 τῇ

[a] *Pag.* 362.

τῇ δόξῃ, *Historicorum præcipuos gloria*, refert *lib. 4. init.*

Marshamus porro *Vetustatem hujus artis* (observandi scil. cœlestes motus) ex Plinii potissimum loco, & Berosi expressa istic annorum summa probat, atque inde progressus observationes Callisthenianas repudiat, nec verisimile opinatur *tot annorum observationes laterculis coctilibus inscriptas fuisse a Chaldæis*; sed potius *existimasse Porphyrium* censet, *Chaldæos ad demonstrandas cœlestium motuum observationes aliam Sothiacam periodum postulasse.* At vero clariora sunt Simplicii verba, quam ut in eum detorqueri sensum ulla ratione possint. Nempe ait, Aristotelem censuisse, *posterioribus potius Astrologis auscultandum*, quoniam illi *plures habeant* τηρήσεις φαινομένων, *quia tunc demum Callisthenes miserit ex Babylone Chaldæorum observationes: Porphyrium autem tradere, eas fuisse* 1903. *annorum usque ad tempora Alexandri M.* Quid jam in hisce est, ex quo tale quid elici queat, quod vult Marshamus? Nihil utique de periodo qualicunque tradit Simplicius, sed tantum eæ observationes, quas miserat Callisthenes, & quibus plurimum tribuebat Aristoteles, Græcis prioribus ignotæ, tot annorum fuisse dicuntur, sive simpliciter hoc ita ex Callisthene vel Aristotele retu-

retulerit Porphyrius, sive harum observationum tempus redegerit ipse interpretando in eam annorum summam, sicuti Alexander Polyhistor apud Euseb. *Chronico priore* [a], Berosi *Saros* 120. per annos 432000. exposuisse legitur.

Sed eadem socordia in interpretandis Plinii verbis versantur, quum ipse d. l. tum qui eum sequitur, Joh. Clericus in Indice ad Stanlejum v. *Berosus*; adeo ut putes, haud inspexisse eos Plinium, & ejus verba aliunde excerpsisse vel repetivisse. Certe specimen hoc erit, unde liqueat, qua negligentia Clericus aliena compilet scrinia, & inde arripiat ac tradat publice, quæ nec satis consideravit ipse, nec intelligit. Etenim volunt illi, in celeberrimo hoc Plinii loco designari omnino Epocham Nabonassari, & ab eodem hoc principio repeti & 720. annos Epigenis, & 480. Berosi; eaque gratia, licet ignorare se fateantur, quando vixerit Epigenes, conjiciunt tamen ætatem illius in tempora Augusti, ut in quibus desinant illi 720. anni, si deducantur ab Epochæ Nabonassareæ initio. At quorsum hæc? Nimirum, ut ita consensus statuatur inter Epigenem & Berosum de illa Epocha, & tempore, quo demum cœperint observatio-

a *Pag.* 6.

tiones ſiderum annotari, atque adeo rejiciantur illæ temporis antiquioris, quas Calliſthenes Babylone dicitur reperiſſe. At, quod jam ſupra diximus, non agit Plinius iſtic de Nabonaſſaro aut ejus Epocha, neque de ipſis ſiderum obſervationibus, ſed unice de antiquitate Literarum, quam tantum probari ait apud Babylonios ex eo, quod obſervationes ſiderum jam a multis annis fuerint iſtic coctilibus laterculis *inſcriptæ*. Quid vero in his eſt, quod pertineat ad Nabonaſſarum, aut ejus Epocham, quæ longe ſubſidit infra illam adeo jactatam antiquitatem, cum Ægyptiaca certantem, & *e diverſo* majorem, immo *æternam*. Deinde vero ſi annorum ſummæ, hinc Epigenis, inde Beroſi & Critodemi, ab eodem principio ſunt repetendæ, nec ſuperat una alteram in oſtentata illa antiquitate, quid tunc ſibi volunt hæc verba, *qui minimum?* qua in re, quæſo, conſiſtet hoc *Minimum*, ſi Beroſus non tribuit minorem antiquitatem Literis, & ſcriptis obſervationibus, quam fecerat Epigenes? Res eſt nimis manifeſta, deſignari hic antiquitatis ſpatium, quod Beroſus retulerit, & *Minimum* ſit, ſi comparetur cum illo, quod Epigenes vel etiam alii jactaverint; atque iſthæc igitur tradidiſſe Marshamum, & certe Clericum, loco Pli-

Plinii, de quo agunt, non confiderato fatis, vel non infpecto, licet eo unice nitantur in rejiciendis iis, quæ de Callifthene habet Simplicius.

CAP. III.

Marshamus rejicit Callifthenianam annorum fummam tantum, quia Babylonis originem ad Nabonaffari tempora vult dejectam. Babylonis *Urbis & Regni mentio in S. Scriptura dudum ante Nabonaffarum. Antiquæ* Urbes, *quæ dicuntur, fuerunt tantum pagi. Urbs Caini fuit non vera Urbs, fed fixum & ftabile domicilium, quo fenfu etiam Hebr.* עיר *fumitur. Primi Homines, qui non erant Nomades, habitarunt fere in fpeluncis. Terra Sinear, feu Babylonis, non fuit relicta, nec inundationibus valde obnoxia poft difperfionem.*

SED caufa fatis idonea fubeft, quare Marshamus Callifthenianam annorum fummam lubens adeo rejiciat, & corrup-

tam illam Berosi apud Plinium potius sequatur. Scilicet, ut exinde confirmet suam de recentissima Babylonis origine sententiam, qua ad Nabonassari ætatem, qui vixit ultimorum Israëlis Regum tempore, eam deprimit. Ex quo liquet, quantum periculi & detrimenti sæpe veritati adferant corrupta Veterum Loca. Nam vix habet quicquam aliud memoratu dignum, quo Babylonem tunc demum conditam probet, præter corruptum illum Plinii locum. Sed rem ipsam videamus: nempe, quid ille de Urbis non modo, sed & Gentis Babylonicæ Origine sentiat, & quam inanibus nitatur ratiunculis. Etenim ne quis ex Scriptura S. illam Originem repetat, aut a Nimrodo prima istius Urbis jacta putet fundamenta, affirmare, nescio quo Historiæ S. oppugnandæ studio agitatus, non veretur pag. 476.[a] *Nullam* ante Nabonassarum *Babylonis Urbis, nedum Regni, occurrere mentionem vel in Sacris Literis, vel in Exteris:* atque idcirco, quando Genes. x. 10. dicitur *Nimrodo initium Regni fuisse Babelem, Erech, Accad & Chalne in terra Sinear*, exponit ita pag. 478.[b] *Initio Babyloniam occupavit Nimrodus, in qua oppida isthæc postea condita fuere.*

a *Pag.* 506. *Edit. Lips.*

b *Pag.* 508. *Ejusd. Ed.*

re. Cum vero partes istæ vastissimorum amnium Euphratis & Tigris inundationibus essent obnoxiæ, E terra illa (hæc jam verba sunt ex Gen. x. 11.) *exiit in Assyriam, & ædificavit Niniven, & Rehebotb, Urbem &c.* Concludit ex his: *Cum egressus sit ex Babylonia, Babylonis Urbis conditor haberi nequit.* Similiter quando Gen. xi. docetur, homines voluisse & jam cœpisse *in terra Sinear condere Urbem & Turrim*, neque illos, *Urbis hujus conditores habendos* asseverat, *quia in omnes terras dispersi sint.* Quasi ex illa dispersione colligendum sit necessario, terram Sinear, seu Babylonis, omnium maxime fertilem, quæ idcirco etiam maxime placuit primis hominibus, fuisse deinceps relictam incultui & solitudini, atque omnes omnino homines ex ea secessisse. Immo vero vel mansit in ea, ut diserte ait Josephus I. 7. vel rediit in eam confestim, & Babelem quomodocunque absolvit Nimrodus cum hominibus sibi addictis, etiam secundum ipsum Marshamum, quando *Babyloniam occupavit*, & tenuit, usque dum *inundationibus* fluminum vexatus, *e terra illa exierit in Assyriam*, aliasque ibi *ædificaverit Urbes.* Nam hæc, si vera essent, accidere post dispersionem demum debuisse, neque ipse Marshamus, opinor, negabit, atque adeo verum

rum ex ipſius quoque ſententia foret, non ab omnibus plane hominibus in iſta diſperſione relictam, ſaltem in perpetuum, hanc Urbem & Terram.

Porro autem habemus Geneſ. x claram ſatis *mentionem* & *Urbis Babel* & *Regni*, quam in S. Literis occurrere negat Vir Doctus. Nam manifeſte iſtic *Babel* dicitur *Regnum* Nimrodi, vel *Principium Regni ejus*, h. e. Prima Urbs. Pro *Urbe* itaque ponitur, non *Regione*, ſiquidem *Babel* æque, ac alia iſtic memorata oppida, *in Terra Sinear* fuiſſe diſerte traditur, atque adeo a *Regione* ipſa ſeu *Terra* diſtinguitur. Quapropter perperam prorſus ſimplicia iſthæc verba interpretatur Vir Doctus, quaſi iis dicatur, Nimrodum *Babyloniam occupaviſſe*, Regionem ſcil. *in qua Oppida iſta POSTEA condita fuerint*. At quare tandem oppida iſthæc non æque potuerint in terra Sinear jam tum a Nimrodo fuiſſe exſtructa, quam mox §. ſeq. Ninive, Rehoboth, aliæque *Urbes*, *ædificatæ* in Aſſyria eodem tempore leguntur?

Quando autem *Urbes* jam tunc conditas memoro, nemo ita exiſtimet, velim, quaſi amplas eas & munitas fuiſſe ſentiam, quum omnium etiam ampliſſimarum deinceps Urbium initia fuerint prorſus tenuia. Thucyd. *lib.* I. *init.* Πόλεις antiquiſſimi Tem-

Temporis dicit ἀτειχίϛȣς, καὶ κατὰ κώμας οἰκȣμένας, *non munitas, & per pagos*, ſeu *pagorum more, habitatas.* Immo fuere tunc nihil aliud, niſi κῶμαι, ſeu *pagi*, certe in Græcia. Ita apud Heſiod. in *Aſp.* v. 18. Heroes Taphii & Teleboæ in *pagis* (κώμαις) habitaſſe leguntur, & diſerte Feſtus, *Commiſſatio a Vicis, quos Græci* κώμας *dicunt; in his enim habitabant prius, quam Oppida conderentur.* Sed & in *Meſopotamia*, etiam diu poſtea, ſic ſe res olim habuit. Eam enim *Vicatim diſperſam, præter Babylona & Ninum*, ait Plinius *Nat. Hiſtor.* VI. 26. addito, *Macedones eam in Urbes congregavere propter ubertatem ſoli.* Vult dicere, multos iſtic fuiſſe Pagos, ſed nullas Urbes, præter duas, priusquam Macedones eam tenuere, qui demum plures iſtic condiderunt Urbes. Similiter de Medis Herodotus I. 96. eos quoque ait habitaſſe κατὰ κώμας, h. e. *in Vicis* ſeu *Pagis.* Taceo jam apud Hebræos עִיר, *Urbem*, ſignificare qualemcunque certam & ſtabilem, ſive complurium uno in loco conjunctam, ſive etiam unius hominis aut familiæ, habitationem, oppoſitam vitæ paſtorum Nomadicæ & vagæ: atque ita intelligendum haud dubie, quod Kain, qui non Paſtor, ſed Agricola erat, ſibi jam tunc עִיר, *Urbem*, exſtruxiſſe dicitur, h. e.

per-

perpetuum in terra, quam colendam maxime elegerat, domicilium: ne illo jam tempore Urbem, multis ædificiis instructam, plateis & vicis distinctam, aut vallo & fossa munitam, nulli certe tunc usui in illa hominum paucitate futuram, cum Josepho [a] putemus, aut cum Augustino *de Civ. Dei* xv. 8. ceterisque, ad hanc sententiam quadam specie ornandam, variis indulgeamus & inanibus conjecturis. Neque aliter Noachidæ, quum venissent in terram Sinear, ac deprehendissent illam plane fertilem & alendis pecoribus idoneam, decrevisse traduntur, non amplius ita vagari Nomadum more, sed potius sibi istic exstruere עיר, certam & stabilem sedem: quæ tamen sine dubio fuit in Pagos potius varios sparsa, quam in unam proprie dictam *Urbem* contracta. Sed & eadem est ratio significationis in Voce ejusdem, ut multi putant, originis, מערה, *spelunca*; quia, qui certo in loco manere volebant, antequam domos sibi ædificare scirent, aut facile possent, in speluncis olim habitabant. Plinius VII. 56. *Nat. Hist. Specus erant pro domibus.* Ovidius *Metam.* I. 121. de argentea ætate,

Tum primum subiere domos, domus Antra fuerunt.

Sed

[a] *I. Antiquit.* 3.

Sed disertius etiam Diodorus Sicul. *lib.* V. p. 231. de Curetibus, antiquissimis Cretæ insulæ incolis, eos ait habitasse sub arboribus montium, aut in vallibus ac speluncis, διὰ τὸ μήπω κατασκευὰς οἰκιῶν εὑρῆσθαι, *quia nondum inventæ erant exstructiones ædium.* Hinc jam in Fabulis, h. e. antiquissimis Historiis Græcorum, tot Dracones memorantur & Gigantes ex Terra nati, ut vel ex una Cadmi Historia est notum; qui nihil aliud fuerunt, quam Homines ex speluncis suis subito prodeuntes, quasi Dracones ex suis cavernis. Quin ipse ille Cadmus tandem in serpentem dicitur conversus, eodem haud dubie sensu, quia scil. se in speluncam tunc abdidit. In talibus speluncis habitarunt Lothus cum Filiabus post Sodomam deletam, Genes. XIX. 30. & Cacus in Latio tempore Euandri, Livius I. 7. Immo integræ Gentes, *Troglodytæ* in Africa, dicti ita διὰ τὸ ὑπὸ τὴν ἔραν βαίνειν, καὶ Τρώγλας ὑποδεδυκέναι, *quod sub terram eant, & cavernas subeant*, ut ait Eustathius ad Dion. *Perieg.* v. 180. addens similes Troglodytas superesse & in Europa juxta Triballos, immo & apud Caucasum in Asia versus Septentrionem. Adde illis jam *Hevæos* in Palæstina olim a Serpentibus eadem ratione sic dictos. Ita vero liquere satis puto, duo hæc vocabula,

la, עִיר & מְעָרָה, ejusdem, ut videtur, originis, notare proprie loca, in quibus certas ſibi ſedes figebant Agricolæ, & quicunque alii vitam Nomadicam non ſectabantur. Talia autem loca erant Speluncæ olim, dein Domus & Urbes, quas Nomades non habebant, viventes in tentoriis aut Curribus, Ἁμαξόβιοι ideo quoque dicti. Kaini autem habitatio etiam alia ratione עִיר potuit dici, quia revera dein cauſam illa & originem dedit veræ Urbi. Abierat enim ad Orientem, atque ibi ſedem ſibi habitationis ceperat, eamque nomine Filii ſui *Hanoch* appellaverat. Verum inde ortam eſſe dein Urbem, liquet ex Ptolemæo, qui ad Orientem Babyloniæ collocat Urbem *Anuchtha*, quod idem plane eſt Nomen, quum *tha* ſit terminatio iſtius Nominis & Urbis Chaldaica. Videtur ergo iſte locus, jam ante Diluvium ſic dictus, retinuiſſe per & apud Noachidas priſtinum Nomen, atque illud ad poſteros ac Urbem poſtea conditam propagaſſe. Sic vero initia Urbis Babelis, ut eo revertamur, qualiacunque tandem, ſeu talia, qualia fuerunt Nineves, & aliarum tunc Urbium, a Nimrodo haud dubie ſunt profecta, & abſoluta, ſed pro ratione iſtius temporis.

Verum ait Marshamus, Nimrodum Terram illam *inundationibus obnoxiam* reliquiſſe,

quiſſe, nihil in ea condidiſſe, ſed potius exiiſſe ex ea in Aſſyriam, atque ibi Urbes exſtruxiſſe. Nos vero id ſine ullo ſatis idoneo rei documento affirmari cenſemus. Etenim primi certe homines *terram Sinear* omnibus aliis prætulerunt, atque idcirco ex ea ne diſpergerentur, aut in alias ſecedere cogerentur, operam dederunt laborioſiſſimam, exſtruendo Urbem & Turrim, *inundationum*, quarum nulla prorſus in Moſaicis fit mentio, plane ſecuri. Sed & tempore Abrahami reperimus in S. Hiſtoria Geneſ. XIV. *Amraphelem Regem Sinearis*, certo indicio, Babylonicam regionem, quæ eſt *terra Sinear*, non fuiſſe *inundationibus* iſtis & ſolitudini relictam. Quin immo habemus in eo iterum certiſſimam *Regni Babylonis*, quam in S. Literis occurrere negat Marshamus, mentionem, ſiquidem illud Babylonis, & *Sinearis Regnum*, eſt unum atque idem. Sed & in libro Joſuæ VII. 21. dicitur Achan ex præda Jerichuntis clam abſtuliſſe veſtem *Sinear*, h. e. Babylonicam. Notiſſimum enim, Babylonios fuiſſe olim vel maxime celebres pingendi veſtes acu, vel diverſos colores intexendi arte; unde & *Babylonica* dicebantur talia veſtimenta. Vide Plinium *Nat. Hiſt*. VIII. 48. & Salmaſium ad Carinum Vopiſci *cap*. 20. Manifeſtum ex his, *Terram*

D *Sinear*

Sinear neutiquam fuisse per inundationes aut alias quascunque causas relictam solitudini, sed inhabitatam jam olim & cultam magna satis, pro ratione istius temporis, Hominum frequentia; habuisse eam *Regnum* proximis post Dispersionem temporibus; exercuisse dein etiam artes cujusdam luxuriæ, quales a recenti convenarum multitudine, aut rudi adhuc populo, exerceri non solent. Quid inde colligendum? nisi Populum istius Terræ, & Primæ istic Urbis, fuisse revera antiquissimum: id quod ex S. Scriptura in hoc Capite probare studuimus. Hoc vero confirmatur etiam ex Jeremia V. 15. ubi Babylonis Populus diserte dicitur גוי מעולם הוא. *Populus, qui ab æternitate*, seu *ab initio rerum, exstitit*, h. e. ut interpretantur omnes, *Populus antiquissimus*. Non debuerat ergo istam Babylonis, & Populi Terræ Sinear, antiquitatem palam adeo negavisse Marshamus.

CAP. IV.

Locus Genes. x. 11. *explicatur ex professo.* Assur *istic Filium Semi, non Terram, notat. Parentheses Historicæ in S. Scriptura frequentes. Assyria & Babylonia sæpe conjunguntur. Nic. Abrami sententia de Nimrodo. Nimrodus mansit Babele, & ejus Urbis regnum tenuit etiam post dispersionem.*

DENIQUE, quod superest, nego etiam, quæ ille ita confidenter affirmat, *Nimrodum e Babylonia exiisse in Assyriam, & ibi condidisse Nineven.* Non ignoro equidem, Viros Eruditissimos, Vatablum, Junium, Bochartum, Coccejum, Schotanum, Heideggerum, Spanhemium, Clericum, aliosque ita interpretari locum (Gen. x. 11.) unde hæc verba sunt sumpta, quasi Nimrodus egressus ex Terra Sinearis in Assyriam, ibi condiderit Nineven, &c. Sed neque ignoro aliter eum accepisse & reddidisse Versiones præcipuas, Græcam, Latinam veterem, denique Belgicam, in quibus hæc ita ver-

tuntur: *De terra illa egressus est Assur, & aedificavit Niniven*, &c. Ast minime opus, ut auctoritate aliorum nos muniamus, aut ea, quasi telo quodam ad probandum idoneo, pugnemus. Res est sic satis clara, & omnis in eo consistit controversia: Utrum vox *Assur*, quae in S. Scriptura designat cum Hominem, Semi filium, *Assyriaci* nominis & gentis conditorem, tum Terram, ab eo ita dictam, heic pro illo Homine, an pro Terra, sit posita. Jam vero manifeste prius volunt verba ipsa, eorumque constructio & elocutio, quae ita se habent, מן הארץ ההיא יצא אשור *E terra hac egressus est Assur, & aedificavit Nineven, &c.* At qui de regione *Assyriae* haec accipiunt, coguntur statuere in his Ellipsin, sic supplendam, *egressus est (Nimrodus in) Assur.* Sed rogo cujuslibet animum, an verisimile sit, quenquam, qui non nesciat, τὸ *Assur* duplicem illam habere significationem, eo tamen sensu, quo illi volunt, & ea cum Ellipsi, ita scripturum. Solemus vulgo, obscuritatis vitandae causa, addere, quae ceteroqui non desiderarentur; at heic detractum foret, quasi de industria ambiguitas & obscuritas esset quaesita, quod ceteroquin addi solet, & quod omissum in his verbis necessario maximam pariet ambiguitatem, & eo majo-

jorem, quo magis, si e contrario *Assur* pro nomine Hominis accipitur, tum sane verba illa liquidum plane, verissimum, & nullis difficultatibus implicitum, ut mox videbimus, exhibent sensum. Non negaverim equidem, similem aliquando Ellipsin occurrere, sed quanto duriorem, tanto tamen rariorem. Nec confugiendum ad ejusmodi duras & raras Ellipseis, quando absque iis planum, ac phrasi simul & Historiæ convenientiorem, habemus sensum. Præterea neque in duobus illis istius Ellipseos exemplis a Bocharto *Phal.* IV. 12. & Heideggero Hist. Patriarch. *Tom.* I. *Exerc.* XXIII. *Sect.* 2. §. 29. prolatis, similis reperitur ambiguitas, siquidem utrumque istic vocabulum est simpliciter appellativum, בית *Domus*, & ארץ *Terra*; quæ sive in Ellipsi, sive extra eam, idem plane notant: dein utrobique Nominativi casus a Vocabulis illis Ellipsin passis diversi exprimuntur; quum heic nullus alius reperiatur Nominativus, & ipsum illud *Assur* commodissime pro Nominativo accipi queat, immo secundum naturalem & usitatam loquendi rationem, ac primam vocabuli (nam prius *Hominem*, quam *Terram* notavit) significationem, potissimum debeat; denique etiam aliud heic, si statuamus Ellipsin, aliud, si eam rejiciamus,

 signi-

ſignificet. Liquet ex his, Ellipſin ab hoc loco eſſe prorſus alienam, quippe manifeſte nimis ambiguam, intricatam, & duram. Sed & Hiſtoriam ſi conſideremus, certum utique eſt, quando S. Scriptores terram Aſſyriæ eodem prorſus nomine, quo Semi Filium, appellant, eam Aſſyriam, ſeu *Aſſur* terram, ab *Aſſur* Homine hujus temporis fuiſſe primum occupatam, & ideo ita nominatam; plane ſicut a reliquis Noachi poſteris Regiones, quas illi primum tenuerunt, ſuum quoque traxere Nomen. Atque idcirco de Aſſure Noachi nepote, a quo *Aſſyriæ* Nomen omnes hodie derivant, intelligendum potius, obvio ſenſu, & analogica locutione, quod Moſes de illo tempore ſcribit, *Ex terra Sinear*, in qua conjunctim huc usque vixerant homines, *exiiſſe Aſſurem*, & ædificaſſe primum urbes Aſſyriæ antiquiſſimas; quam de Nimrodo Noachi pronepote, & Babylonis, non Aſſyriæ, Rege, illum ſcilicet *exiiſſe IN Aſſurem*, & ibi ædificaſſe, ſenſu a naturali verborum conſtructione remoto, & duriter elliptico. Neque vero ulla Hiſtoriæ ipſius auctoritate adigimur ad illam Ellipſin adeo non neceſſariam, immo a verbis ſeparatim conſideratis alieniſſimam. Nam nusquam alibi traditur, Nimrodum condidiſſe Nineven, aut in Aſſyriam ex Babylonia demigraſſe.

Sed

Sed existimant Viri Docti, minime huic loco, ubi agitur de Chamitis, convenire mentionem Assuris Semitæ, inprimis quia dein §. 22. ex professo Semitæ, inque iis hic ipse Assur, demum memorentur; idque *certis argumentis* evicisse Bochartum d. l. Operæ itaque erit pretium, ut certa illa argumenta excutiamus. Primum eorum & secundum est unum atque idem, *Alienam* scil. esse *ab hac Chamitarum enarratione mentionem Semitæ*; Et, *Ordini Historiæ repugnare, ut Assuris gesta & urbes ab eo exstructæ ex abrupto referantur prius, quam nativitas.* Hoc illud est præcipui momenti (nam reliqua sunt nullius) argumentum, quod adegit Viros Doctissimos ad duram adeo, & ab Analogia verborum ac Historiæ fide remotam interpretationem: quasi nulla in sacris, aut aliis Scriptoribus per opportunitatem occasionis occurrerent ὕστερα πρότερα, vel aliarum, sed similium, rerum παρενθέσεις. At vero an non in hoc ipso Capite x. plerique omnes, atque ipsi Viri Doctissimi, cum alia, tum maxime hoc ipsum, quod quis *e terra Sinear exiisse & ædificasse Nineven* in Assyria dicitur, æque ex abrupto & contra Historiæ seriem, explicare solent per dictas figuras; quum res ipsa, tantum per occasionem Nimrodi, & Nimrodei Regni in Babele, atque ideo

παρενθετικῶς, heic memorata, acciderit utique poſt diſperſionem hominum, quæ itidem poſtea demum, ſeu demum cap. XI. traditur? Quid? quod §. 12. verba, *Hæc eſt Urbs illa magna*, plerique etiam de *Nineve* accipiant, licet inter ea & *Nineven* interjecta ſit mentio aliarum Urbium? Sed clariora & ſimilia plane dabimus exempla. Certe ita 2. Sam. IV. ubi refertur cædes Isboſethi, qui filius Sauli, ſubito §. 4. mentio fit ſatis prolixa Mephiboſethi, Filii Jonathanis, Nepotis Sauli: *Et Jonathani, Filio Sauli, fuit filius affectus pedibus: quinque annos erat natus, quum nuncius de Saulo & Jonathane venit ex Iizreële, & ſuſtulit eum nutrix ejus, & fugit. Et accidit, quum feſtinaret ipſa in fugiendo, ut caderet ille & debilitaretur; & nomen ejus fuit Mephiboſeth.* Nihil in ſuperioribus eſt, cum quo hæc cohæreant; nihil in conſequentibus, ubi ex abrupto reditur ad filios Rimmonis, qui Isboſethum illius Mephiboſethi patruum interemerunt: ſequitur enim continuo, *Et iverunt filii Rimmon* &c. Sed & longe difficilius parentheſeos iſtius occaſio inveſtigabitur, quam in loco Geneſeos; neque ulla dari poteſt ſatis commoda & idonea, niſi ut per occaſionem occiſi Isboſethi ſignificetur, quaſi prætereundo, non ſuperfuiſſe ex legiti-

gitimis † posteris Sauli per masculam progeniem, nisi hunc Mephibosethum. Similiter 1. Reg. x. refertur, ut advenerit Regina Sabæorum, ad explorandam Salomonis sapientiam; ut eam fama majorem compererit & prædicaverit; ut denique Salomoni magnifica dederit munera: tum subito §. 11. & 12. interponitur, ut etiam classis Hirami advexerit Salomoni pretiosissima ligna, utque ex iis ille repagulum Templi & Regiæ, aliaque, paraverit. At §. 13. reditur continuo ad Reginam, & quid Salomo illi rependerit, narratur. Sed & in ipso Mose Deuter. Cap. 11. illustria habemus talium Parentheseon exempla. Refert ibi Moses, & in memoriam revocat Israëlitis, iter per desertum, ac præcepta Dei de singulis Gentibus, Idumæa, Moabitica, & Ammonitica, bello non invadendis. Quum vero de Idumæis jam egisset, jamque de Moabitis ageret, interponit §. 10, 11, 12. parenthesin, in qua per occasionem hanc exponit, quis, & qualis populus terram illam Moabitarum antea inhabitaverit: quin & per eandem occasionem Idumæos, de quibus §. 8. antea separatim jam egerat, & quos jam ab-

 sol-

† Adde, *ut constet, quo respexerim, in parenthesi* (nam ex concubinis supererant & ex filiabus, ut patet ex II. Sam. xxi. 8. 11.) *Addend.*

ſolverat vel dimiſerat, mox §. 12. in prorſus alienum, ut poſſet videri, locum quaſi retrahit, dicendo etiam illorum terram, ſeu Montem Seir, inhabitaſſe olim Choræos, quibus expulſis illi ſucceſſerint. At §. 13. loquitur iterum directa allocutione ex perſona Dei ad ſeſe, quam interruperat. Similis plane parentheſis ibidem reperitur §. 20, 21, 22, 23. ubi quum egiſſet de Ammonitis, memorat quoque, qui olim eorum terram inhabitaverint, & addit §. 23. per illam occaſionem, etiam Havvæos a Caphthoræis expulſos; quæ res ad Ammonitas nihil pertinebat, ſed tantum propter ſimilitudinem rei videtur iſtic narrata. Plures ejus generis parentheſes alibi occurrunt, non æque manifeſtam ſui occaſionem præferentes, quam quidem hæc urbis Nineves, ab Aſſure exſtructæ, quæ ſane præfert opportuniſſimam. Non dicam, quod Auguſtinus ait *de Civit.* XVI. 3. *quam rem ex hac occaſione perſtrinxit, propter Nobilitatem Regni Aſſyriorum.* Nimis laxa hæc eſt, & generalis ratio. Sed tamen nullæ revera in Oriente juxta Meſopotamiam exſtiterunt urbes æque illuſtres, amplæ, & potentes, ac *Babylon* & *Nineve*, immo ſolæ iſtic fuerunt, ſi fides Plinio VI. 26. Nam *Meſopotamia*, ait, *tota Aſſyriorum fuit vicatim diſperſa, præter Babylona*

bylona & Ninum. Hinc igitur sæpissime quoque conjunguntur. Strabo *lib*. XVI.[a] de *Syris* agens, per quos Assyrii debeant intelligi, τὰς ἐν Βαβυλῶνι καὶ Νίνῳ κατεσκευασμένας τὸ βασίλειον. Atque ideo etiam a Micha, de quo mox, eodem §. memorantur *Terra Assuris*, & *Terra Nimrodi*. Ergo quum Moses per parenthesin quandam & prolepsin haud dubiam cap. x. retulisset *Babelis* regnum, & conditorem ejus *Nimrodum*, opportunissima parenthesi subjecit continuo *Nineven* quoque, & ejus conditorem *Assurem*. Hæc enim est certissima parentheseos istius ratio, non quod Moses *de Assure observare* voluerit tanquam *peculiare quid* (*Quod Egressus sit ex terra Sinear*) *cum tamen ex ea prodierint universi homines*; quod Tertium est argumentum Bocharti, sed maxime frivolum. Nam non id egit nostra ex sententia Moses, sed ut, sicuti dixi, cum initiis Regni Babylonici & *Babelis* conjungeret initia Regni Assyriaci & *Nineves*, Urbis fama & potentia Babeli in eodem terrarum tractu æqualis. Phrasi ergo illa (*Egressus est &c.*) nihil aliud significatur, quam quod Assur statim post dispersionem in terram Nineves se contulerit, & ibi sedem fixerit. Quarto contendit Bochartus, ideo *Babelem* dici *Principium Regni Nimrodei*, Genes. x. 10.

[a] in *Princip*.

quia

quia *priori illi Regno aliud adjunxerit*, *nempe Aſſyriam*, atque in eum proinde ſenſum explicanda eſſe controverſa §. 11. verba. Sed nulla hæc eſt ratio contra liquidam adeo & conſtantem denominationem *Aſſyriæ* ab *Aſſure*, tanquam ejus primo conditore, qui eodem tempore, quo Nimrodus, vixit, & in terra quidem Sinear, unde in Aſſyriam abiiſſe debuit. Dein ראשית æque notat *Præcipuum* quid & *Caput rei*, ac *Principium*; ut vel ex vulgatiſſimo illo conſtat, *Præcipuum* (ſeu *Caput*, ut vertit Junius) *ſapientiæ eſt Timor Domini*. Quin ipſe Boch. ſequens ſuum caput XIII. his verbis incipit: *Babylon* ראשית, *id eſt*, *vel Initium*, *vel Caput Regni Nimrod*. Sed & Auguſtinus d. l. *cap*. 4. exponit hanc vocem de Babele, *quæ civitatum ceterarum gereret principatum*, *ubi eſſet tanquam in metropoli habitaculum regni*. Sed & Babel ſine dubio prius condita fuit, quam reliquæ urbes, *Erech*, *Accad*, *Calne*. Ut adeo fuerit vere etiam *Initium* Regni Nimrodei; reliquæ autem urbes in terra Sinear, ab eodem conditæ deinceps, ad idem Regnum acceſſerint. Quintum eſt Bocharti telum, & quidem validiſſimum, ſi foret verum & certum, a Micha v. 6. Aſſyriam vocari *Terram Nimrodi*. Verba Prophetæ ſunt, *Et depaſcent terram Aſſuris gladio*, *&*

ter-

terram Nimrodi lanceis, vel *in finibus ejus*. At unde, quæſo, jam conſtat, *Terram Nimrodi* heic poni pro Aſſyria vel *Terra Aſſuris*, a qua utique ſeparatur & diſtinguitur. Certe Interpretes plerique, quum Judæi, R. Schel. Jarchi, & R. David Kimchi; tum Chriſtiani, Druſius, Calvinus, Piſcator, Eſtius, aliique; quin ipſi, Heideggerus *Exercit*. XXI. 12. & Spanhemius in *Chronol. S.* p. 167. *Babyloniam* iſta phraſi intelligunt. Sed & optima ratione conjunguntur eodem verſu & pœna hæ Terræ, quod & Kimchius obſervavit; quia utraque Eccleſiæ V. T. fuit infeſta & exitiabilis, ſiquidem in *terram Aſſuris* deportati ſunt Iſraëlitæ, at Judæi in *terram Nimrodi*, ſeu Babyloniam. Adde quod Eſaiæ XXIII. 13. *Aſſur* dicatur *firmaviſſe terram Chaldæorum*, h. e. Babyloniam, de cujus Rege, Tyri Expugnatore, ibi agitur: quin & quod his Michæ temporibus per Eſarhaddonem, ſeu Aſſaradinum, ut in Canone Ptolemæi vocatur, Babylon redierit in poteſtatem Aſſyriæ, usque dum ſub Nabopolaſſare jugum illud excuſſit, & Aſſyriam viciſſim ſibi ſubjecit; qua ex re factum, ut poſtea *Aſſyriorum* & *Babyloniorum* nomina ſæpe reperiantur promiscue adhibita, vel pariter juncta. Prius liquet ex Hiſtoria Manaſſis, qui Ezechiæ,
ſub

ſub quo vaticinatus eſt Micha, fuit Filius. Is enim 2. Paralip. XXXIII. 11. dicitur victus & captus ab exercitu Regis *Aſſur*, & deductus *Babelem*. Alterum ex innumeris locis conſtat, quin & ex modo laudato Plinii, ubi *Aſſyriæ* adſcribitur omnis *Meſopotomia*, *& ipſa Babylon*, æque ac *Ninus*, ſeu Nineve: & Literæ dicuntur *Aſſyriis* primum, dein *Babyloniis*, *ſemper*, vel *æterno* in *uſu*, fuiſſe: ubi manifeſte utraque appellatio confunditur, & unum denotat Babylonis populum. Vide & ſupra pag. 10. & adde Solinum *cap*. 60. Taceo jam Canonem Ptolemaicum, in quo Reges Babylonis ante Cyrum *Aſſyrii* vocantur: & Herodotum, Xenophontem, Strabonem, aliosque, in quibus Babylonii, poſt deſtructam Nineven, itidem paſſim appellantur *Aſſyrii*. Nihil itaque mirum, in verbis Michæ, ubi de Aſſyria potiſſimum agitur, fieri etiam mentionem Babelis ſeu Terræ Nimrodeæ; quippe quæ tunc cum Aſſyria plerumque conjungebatur vel confundebatur, & præterea magnam partem ab Aſſyriis jam erat occupata haud dubie, & in corpus Monarchiæ Aſſyriacæ redacta, quippe quum ipſa Babylon, quæ reſtabat in terra Sinear victoriis Aſſyriorum ultima, ut ſolent fere metropoles, ab ſequenti ſtatim Rege, Eſarhaddone,

done, fuerit itidem ſubacta; id quod clariſſime probabimus infra cap. VI. Supereſt, quod ab Hiſtoria *Exotica* ſumit Doctiſſ. Bochartus, *Diodorum aliosque ex Cteſia docere, Nineven & Babylona ſtatim ab initio eosdem habuiſſe Dominos, & Belum illum, qui Babylone colebatur, fuiſſe Nini patrem.* Hoc vero eſt πρῶτον ψεῦδος, Ninum fuiſſe Nimrodi, h. e. Beli Babylonici, Filium, confutatum jam abunde a Viris Doctiſſimis (vide Heidegg. in *Hiſt. Patr. Tom.* 2. *Exerc.* XXIV. §. 8.) de quo ipſo & Nos ex profeſſo agemus in *Aſſyriacis.* Deinde vero Diodorus, aliique, ex Cteſia, Regna Babyloniæ & Aſſyriæ non Eosdem, ſed plane Diverſos habuiſſe Dominos, diſerte ſatis tradunt, ſiquidem Ninus Rex Aſſyriæ auxilio Arabum invaſiſſe demum & occupaſſe Babyloniam dicitur a Diodoro *lib.* II. *init.* Quod ſi ita fuit, tum certe Babylonia, antequam Ninus eam occuparet, alios habuit Reges, quam Aſſyria. Niſi forte Vir Summus id reſpiciat, quod ipſam *Urbem Babylonem* idem Diodorus poſt mortem Nini demum a Semiramide conditam putat. Sed hoc falſum eſt, & repugnat Hiſtoriæ Nimrodi, Geneſ. *cap.* X. memoratæ, quam, & cujus verum ſenſum nunc indagamus. Manifeſtum reor ex his omnibus, nullius eſſe mo-

momenti rationes, quibus moti Viri Doctissimi in explicando Gen. x. 11. loco recedunt ab usitata loquendi ac interpretandi ratione ad durissimam Ellipsin; & ideo longe rectius statui, *Assurem* post dispersionem ex terra Sinear in Assyriam abiisse, non belli gerendi, aut alios jam illius regionis incolas expellendi (quæ quasi Verbo *Egrediendi* omnino & unice notentur, temere & incassum Assuri Semi F. opponit Schotanus in *Bibliotheca*, & ejus *Secunda Mundi ætate* p. 120.) sed tantum inhabitandi causa, primasque illum in ea tunc sibi suisque condidisse Urbes, quam *Nimrodum*, quum Assur Nimrodi tempore vixerit, & ab *Assure* denominatam *Assyriam*, Babyloniam autem fuisse *Nimrodi*, sit certum; denique nihil ergo præsidii, nihil argumenti, hunc locum suppeditare Cl. Marshamo, ad probandum, quod sibi propositum habet, Babyloniam a Nimrodo relictam solitudini, & mansisse diutissime incultam.

Sed &, si Nimrodus quoque e Babylonia vere fuisset Egressus, longe verisimilius censerem, quod statuit Nic. Abramus *Phari lib.* V. §. 10. in Meridiem vel Occidentem eum abiisse, quo secesserunt Chamitæ, quam in Orientem, quo Semitæ. Nempe existimat ille, Nimrodum jam

jam ante disperſionem Regnum *in Babele, &c.* obtinuiſſe §. 7. at immiſſa a Deo linguarum confuſione, *redactum ad paucitatem, ex Urbe, quam Regnum Gentibus facere deſtinarat, extruſum, & in quasdam ſterilium montium anguſtias compactum,* §. 8. Nempe in Ammonitidem vel Baſanitidem; quia utraque *Terra Gigantum* primitus ſit vocata, Deuteron. II. 20. & III. 13. Jam autem Nimrodus *Gigas* a LXX. dicatur Geneſ. X. 9. ita reddentibus Hebraicum גבור/ *validus, ſtrenuus.* Hæc §. 10. Firmat ſententiam eo, quod in Chaldæa habitaverint dein Semitæ, & ipſi majores Abrahami; immo quod Chaldæa, teſte Joſepho, ab Arphaxado filio Semi fuerit condita: abſurdum autem ſit Abrahami majores habitaſſe tanquam peregrinos inter Chamitas, vel *Chamitas non fuiſſe a Semi poſteris ſegregatos.* §. 9. Specioſiora hæc ſane, ſed tamen vel ſic neutiquam admittenda, quia ſolis conjecturis abſolvitur omnis harum rerum connexio, & diſerte ſatis repugnat Sacra Scriptura; quippe quæ Nimrodo unicum tribuit regnum Babelis & vicinorum oppidorum, deque eo ex hac Urbe aut Terra expulſo ne γρὺ quidem tradit, immo etiam longe poſt in propheticis ſcriptis Babyloniam vocat *Terram Nimrodi*, ut in ſuperioribus oſtendimus;

 mani-

manifesto, ni valde fallor, indicio, quod illa terra manserit Nimrodi veluti propria, atque ipse in ea regnum tenuerit, non ante dispersionem (non magis, quam ante eam Assur ædificavit Nineven & alias Urbes, licet ante dispersionis Historiam itidem memoratas) neque tantum in initio ad tempus aliquod, sed potius post dispersionem, & per omne reliquum vitæ tempus. Adde jam, ex eo, quod Nimrodus tenuerit Babyloniam, Semitæ autem habitaverint in Chaldæa, nequaquam sequi, Chamitas non fuisse ergo segregatos a Semitis, siquidem diversi fuerunt primis rerum initiis Babylonii & Chaldæi, quin etiam longe post a Ptolemæo & Aliis distinguuntur, qui Chaldæam Babyloniæ fuisse partem tradunt, h. e. fuisse terram, quæ in ditionem & ita partem regni Babylonici fuerit redacta. Nempe Chaldæi orti a כשד *Chesed*, filio Nachoris, qui Frater Abrahami, unde כשדים h. e. *Chaldæi*. Sequeretur ergo nihil aliud, quam Chamitas habitasse in confinio Semitarum, quod accidit haud dubie, & accidisset etiam, si maxime Babyloniam tenuisset Semi posteritas. Nam Arabes, qui utique erant Chamitæ per Cuschum, vicini prorsus fuere Babyloniis, sicuti fuerunt & Aramæis ab Aramo Semi item filio progeni-

genitis. Denique nihil in eo abſurdi, Semitas & ipſos majores Abrahami habitaſſe inter vel juxta improbos Chamitas. Nam & ita mox Abrahamus ipſe juſſu Dei migravit ad Cananæos, itidem Chamitas, & inſuper internecioni per cauſam impietatis ſuæ devovendos. Sed & quid obſtat, quo minus ab ipſo initio Deus voluerit priſcam Babylonem eſſe typum Babylonis figuratæ, quæ poſtea in medio Chriſtianæ Eccleſiæ eſt exorta, & veros Dei cultores partim in errores graviſſimos pertraxit, partim diriſſimis vexavit & afflixit modis, æque ac antiquæ Babelis vicinia hoc tempore majores Abrahami ad idololatriam adduxiſſe videtur, & deinde Judaicam gentem Deo fœderatam oppreſſit, & in ſervitutem abduxit.

CAP. V.

Babylonem Profani Scriptores vel ab Semiramide, vel a Belo, conditam dicunt. Marshamus eam ab Ægyptiis vult conditam. Ægyptii & Babylonii Antiquitatem ſuam præ aliis certatim jactabant. Beli *fuerunt multi & diverſarum Gentium, quos male Veterum & Recentiorum plerique confundunt.*

Ut autem ad Clariſſ. Marshamum e diverticulo revertamur, ille vero etiam omnes Profanos Scriptores, maximam Babylonicæ Urbis antiquitatem tradentes, pariter item repudiat & rejicit. Duas eſſe Veterum de ejus Urbis origine ſententias ait,[a] *alios Urbem a Semiramide conditam referre, alios a Belo.* Eos, qui ad Semiramin referant Urbis originem, omnia habere ait ex Cteſia parum fide digno, & refellere ſtudet auctoritate Beroſi. Sed quid Beroſus? Narrat ex Eo Joſephus *lib.* I. *contra Ap.* Opera a Nabuchodonoſoro confecta ad

a *Pag.* 507.
b *Pag.* 1045.

ad ornandam & muniendam Babylona, additque dein, *reprehendi ab Eo Græcos Scriptores, ut temere arbitratos* (ὑπὸ Σεμιράμιδος τῆς Ἀσσυρίας κτισθῆναι τὴν Βαβυλῶνα) *ab Aſſyria Semiramide conditam Babylona, & qui falſo etiam ſcripſerint, ab illa circa eam Urbem admiranda iſta Opera excitata.* Negat ergo Beroſus *ab Aſſyria* Regina conditam primum Babylona: nihil autem habet ille, neque vero quicquam ex eo refert Joſephus, quod ſententiæ Cl. Marshami de longe recentiore Urbis iſtius origine faveat. Certe enim Joſephus longe antiquiorem Nabonaſſaro credidit & tradidit Babylona. Beroſus autem tantum abeſt, ut ad Nabonaſſari ætatem ſuæ Urbis originem deprimat, ut e contrario ne ad Semiramidis quidem, tanto antiquioris, tempus demitti eam velit, ſed & inſuper, ſicuti ſupra diximus, ſcripſerit, *in Urbe Babylone* ſervari annotationes rerum iſtic geſtarum & obſervatarum ſupra XV. annorum Myriadas. Immo tradidit ille, jam ante Diluvium conditam Babylona, & dein homines ex Diluvio ſervatos, juſſu Dei, iterum abiiſſe in Babyloniam, καὶ πάλιν ἐπικτίσαι τὴν Βαβυλῶνα, & *denuo condidiſſe Babylona.* Vide Alex. Polyh. ex Beroſo hæc referentem apud Euſeb. *Chron. Gr.* p. 8. Similiter vero Megaſthenes vel Abydenus

apud Euſebium *Præpar. Euang.* IX. 41. itidem non agnoſcunt quidem, nec memorant Semiramin, ſed neque Nabonaſſarum, in exponenda Urbis origine & incremento, verum a Belo antiquiſſimis temporibus conditam & muro cinctam tradunt, ac dein iterum a Nabuchodonoſoro triplici muro, aliisque operibus, ornatam. Et convenit hæc ſententia quam accuratiſſime cum Sacra Hiſtoria, quæ exſtructam primum Babylona refert a Nimrodo, h. e. Belo Babylonico, ſeu primo Rege & conditore iſtius Populi, deinde vero iterum exædificatam & majorem in modum ornatam à Nabuchodonoſoro, quippe qui Dan. IV. 27. inducitur jactans, *Nonne hæc eſt Babylon illa magna, quam ego ædificavi*, non ita ſimpliciter, nam jam antea exſtiterat extra controverſiam, ſed *quam ædificavi* לבית מלכו *ut eſſet ſedes Regni*, ſeu Regno & Rege digna, Regia Urbs, וליקר הדרי *& ut ſit gloria majeſtatis meæ.*

Alteram Veterum ſententiam, quæ a Belo igitur dudum ante Semiramidis tempora conditam tradit Urbem, & quam infra *Cap.* VII. pluribus exponemus, eludit Doctiſſ. Marshamus duplici ratione, cum quod Belus ille fuerit Ægyptius, Neptuni & Libyes Filius, tum quod neque is *Urbem* ipſam condiderit, ſed colo-

niam

niam tantum Sapientum, qui *Chaldæi* ſint dicti, duxerit in *Regionem* Babyloniæ. Prius probare nititur ex Diodoro, qui *lib.* I. [a] ex Ægyptiorum traditione hæc ſcribit: *Ægyptii ferunt etiam poſtea multas colonias ex Ægypto per orbem terrarum diſperſas. In Babylona quidem duxiſſe colonos Belum, qui creditur Neptuni & Libyes Filius, eumque apud Euphraten ſede fixa conſtituiſſe Sacerdotes ad modum Ægyptiorum Sacerdotum immunes, & ab oneribus publicis liberos, quos Babylonii Chaldæos vocant.* Similiter Pauſanias in Meſſen. [b] *Belus Babylonius a Belo homine Ægyptio, Libyæ Filio, nomen habet.* Sed profecto ineptiſſimum eſt, contra Babyloniorum antiquitatem Ægyptios allegare teſtes, quippe qui cum nullis magis de antiquitatis gloria certarunt, quam cum Babyloniis & Chaldæis, ut vel ex Plinii loco liquet, quem Cap. I. expoſuimus. Sed & ideo Joſephus lib. I. *contra Ap.* [c] *Græcorum novitati* opponit identidem *antiquitatem Ægyptiorum & Babyloniorum*, quos habere ait ἀρχαιοτάτην τε καὶ μονιμωτάτην τῆς μνήμης τὴν παράδοσιν, *Antiquiſſimam & Conſtantiſſimæ durationis traditionem:* & mox [d] iterum, adhibuiſſe Eos pariter ma-

 ximam

a *Pag.* 17.
b *Cap.* XXIII.
c *Pag.* 1034.
d *Pag.* 1035.

ximam curam ad res literis prodendas ἐκ μακροτάτων ἄνωθεν χρόνων, *ex longiſſimis in præteritum temporibus*. Adde Africanum ex Euſebii *Chron. Gr.* p. 8. περὶ τῆς τῶν Αἰγυπτίων καὶ Χαλδαίων μυθώδους χρονολογίας, *de Ægyptiorum & Chaldæorum fabuloſa Chronologia*. Videmus hinc, jungi identidem Ægyptios Babyloniis vel Chaldæis, tanquam paris antiquitatis, aut qui ſimul cum illis quaſi certatim ſuam præ aliis antiquitatem jactarint. Neque vero cum Babyloniis ſolum, ſed & cum Phrygibus ac Scythis de generis ſui vetuſtate certaſſe Ægyptios, referunt Priſci Scriptores. Quid ergo mirum, hosce homines, eo vanitatis ſpiritu elatos, licet illorum tamen antiquitatem minime Ego negem, ex Scriptura quippe S. notiſſimam, æmulos ſuos ab ſe potiſſimum ortos finxiſſe? Certe ſuſpectiſſima ideo debebat eſſe illorum fides de Babylonis origine ab ſe ducta gloriantium. Taceo jam affirmationem hanc Ægyptiorum, de colonia a Belo ſuo Babylonem ducta, repugnare communiter receptæ deinceps a Veteribus Hiſtoriæ, quæ illam ignorat, & tradit Belum Ægyptium, cum frater ejus Agenor abiiſſet in Phœnicen, *manſiſſe in Ægypto, ibi regnaſſe, & regnum Filiis ſuis, Ægypto & Danao, reliquiſſe*. Diſerte Apollodorus

lib.

lib. 2. [a] Βῆλος δὲ ὑπομείνας ἐν Αἰγύπτῳ, βασιλεύει Αἰγύπτου.

Præterea non hodie tantum ab Eruditis, ſed jam olim etiam ab ipſis Veteribus confuſi ſunt ſæpe plures Beli in unum, quaque Orientalium Gente ſuum progenitorem & conditorem, in Deos relatum, hoc *Beli* nomine, quod *Deum* ſeu *Dominum* iſtic notabat, ornante, & quod de aliorum Belo legebant, ſuo deinceps adſcribente; plane ſicuti Græci alienigenarum Deorum facta ſuo itidem vel Jovi, vel Mercurio, vel Herculi tribuerunt: unde factum ut poſtea Eruditi iſthæc nomina variis cognominibus in diverſarum gentium & temporum Deos vel Heroas debuerint diſtinguere, & ex. gr. Herculem nobis memorent non tantum *Græcum*, ſed & *Tyrium*, *Libycum*, *Italicum*, *Indicum*. Ceterum in Oriente *Deum*, *Deosve*, a Gentibus appellatos *Baal* vel *Baalim*, ex ipſa S. Scriptura eſt notiſſimum. Hoc vero Nomen Græci ad Chaldæorum & Syrorum pronunciationem paulo propius accedentes, ſicuti ab His etiam alia acceperunt, ſcripſere Βῆλ vel Βῆλος. Quia autem quæque Gens in Oriente ſuum progenitorem pro Deo colebat, & *Belum* plerumque appellabat, inde ortum,

E 5 ut

[a] *Cap.* 1.

ut tot quoque reperiamus in Hiſtoriis diverſarum gentium Belos. Talis fuit Belus Babylonius, omnium notiſſimus, tum Belus Aſſyriacus, qui Nini dicitur fuiſſe pater, ſed revera haud dubie fuit ipſe Aſſur, porro Belus Tyrius, Elymaicus, Ægyptius denique. Non quod hunc etiam, vel certe illum Ægypti & Danai patrem, Ægyptiorum Deum fuiſſe cenſeam, ſed potius, ſive vivum, ſive mortuum, hoc *Beli* ſeu Dei nomine fuiſſe honoratum, plane uti Didonis Tyriæ Pater eodem nomine deſignatur apud Servium ad Virgil. *Æn.* I. *v.* 347. & Hygin. *fab.* 243. & ſicuti Daniel a Nebucadnezare dictus eſt *Beltſchatzar*, *ſecundum nomen Dei mei*, ut ait ipſe Neb. apud Dan. IV. 5. & ſicuti a Carthaginienſibus vocabantur multi, *Hannibal*, *Hasdrubal*, &c. Nam *Lingua Punica Bal* (pro Baal) *Deus dicitur*, ut ait Servius ad Virgil. *Æn.* I. 733. Quin & a Græcis poſtea nonnulli Reges, tum propriis, tum communibus, Deorum vocabulis, veluti Διόνυσος, Θεὸς, &c. fuerunt inſigniti. Ceterum non valde equidem miror, Ægyptios, quum Babylonem a Belo conditam, undecunque cognoviſſent, ad ſuum itaque Belum iſtius urbis originem retuliſſe, quum & Tyrii ejusdem Urbis originem ad Suum, ſeu Tyrium, Belum eodem er-

rore

rore retulerint, ut constat ex antiquissimo Poëta Sidonio, quem jam Salmasius ad Solinum [a] attulit, & cui dicitur, Ἀρχαίη Βαβυλὼν, Τυρίου Βήλοιο πόλισμα, *Antiqua Babylon Tyrii Beli Urbs.* Neque vero alias etiam Orientis gentes miror sæpe hos Belos confudisse, & suo tribuisse, quod alienigenæ Beli erat: Græcosque, earum annales secutos, in idem confusionis vitium idcirco præcipites quoque datos, licet hi tamen non ignorarint, hoc nomine Deos Orientalium plerosque insignitos, vel eo Deum supremum istic simpliciter notari. Diod. Sic. *lib.* II. p. 69. bis ait, Διὸς, ὃν καλοῦσιν οἱ Βαβυλώνιοι Βῆλον, *Jovis*, h. e. Dei supremi, *quem Babylonii vocant Belum.* Agathias *Hist. lib.* II. [b] a Persis varios quoque Deos olim referens cultos, Βῆλον μὲν τὸν Δία, καὶ ἄλλως τοὺς ἄλλους ἐκάλουν, *Jovem quidem*, seu præcipuum Deum, *appellabant Belum, & aliter Alios.* Xiphilinus in Caracalla, [c] ὁ Ζεὺς, ὁ Βῆλος ὀνομαζόμενος, καὶ ἐν τῇ Ἀπαμείᾳ τῆς Συρίας τιμώμενος. Hi ergo *Belum* Jovem, at alii interpretati sunt Saturnum. Vide de his Doctiss. Seldenum de *Diis Syris*, *syntagm.* II. *cap.* I. Il-

a Pag. 867. *Edit. Traj.*
b Pag. 58. *Edit. Vulcan.*
c In *Excerpt. e Dione* lib. LXXVIII. pag. 884. *Ed. Hanov.*

Illud vero ſatis mirari nequeo, quod, quum hæc ſint certa & clara prorſus, *Belum* in Oriente ſignificaſſe generatim Deum, & ſingulas pene Gentes iſtic ſuum habuiſſe Belum, nihilominus Viri Eruditiſſimi, Scaliger, Gerh. J. Voſſius, Salmaſius, Bochartus, Petavius, aliique, omnem *Beli* mentionem referant ad Babylonium, eaque pene ſola, certe longe præcipua, ratione ducti, Ninum, ætate licet & familia diverſiſſimum, plerique affirment Nimrodi Filium, quia ſcilicet *Beli Filius* a priscis Scriptoribus dicatur, Nimrodus autem fuerit, ut fuit haud dubie, ille Babyloniorum *Belus*. Sed de eo deinceps *Cap.* VII. Ceterum liquet ex his omnibus, ni fallor, clariſſime, Babylonicæ Gentis Originem contra Scripturæ S. & Veteris Hiſtoriæ auctoritatem temere & incaſſum, Ægyptiæ vanitatis fide vel teſtimonio, ad Belum Ægyptium a Marshamo detrudi. Dixi *Gentis*, quia ne in hanc quidem coloniam & ætatem Beli Ægyptii admittit *Urbis* ipſius initia, manifeſto nimis ſuæ ſententiæ quomodocunque tuendæ ſtudio. Etenim utitur verbis Diodori paulo ante a me Latina lingua exhibitis, quæ dicunt, Belum Ægyptium duxiſſe colonos εἰς Βαβυλῶνα, eumque apud Euphratem καθιδρυθέντα, *jam ſede poſita habitan-*

bitantem, τὺς τε ἱερεῖς καλαςήσασθαι παραπλησίως τοῖς κατ' Αἴγυπλον, *ſacerdotes inſtituiſſe ſimiles pene Ægyptiis. Hæc*, [a] Vir Nobiliſſ. ait, *non de Urbe aliqua mœnibus circumdata, ſed de Sapientum & Philoſophorum migratione in Babyloniam intelligenda ſunt*, Et, *hanc Beli coloniam non Babylonem, ſed in Babyloniam videri deductam*. Tanti ſcilicet erat, ſimplicia adeo Diodori verba invertere, ne usquam *Babylonis Urbis* mentio reperiretur. At verbumne ullum Diodorus de migratione ſolorum Sapientum? Nonne ſimpliciter coloniam Babylonem ductam memorat, eaque jam in ſtabilem ſedem locata, tum demum Sacerdotes iſtic ad morem patriæ inſtitutos? Plane ſicuti pene ſemper Coloni in Nova Urbe priſcæ patriæ ritus retinere ſolent. Nec juvat Marshamum, quod Strabo *Lib*. XVI. p. 739. Chaldæos quosdam Ὀρχηνοὺς, alios Βορσιππηνοὺς a Locis extra Babylonem vocatos tradat. Is enim & in Urbe, & extra eam, per totam Regionem tandem diſperſos fuiſſe, eorumque γένη πλείω, *complura genera*, nec tantum *Orchenos* & *Borſippenos*, ſed & ἄλλυς πλείυς, *alios plures*, exſtitiſſe dicit, ὡς ἂν κατὰ αἱρέσεις ἄλλα καὶ ἄλλα περὶ τῶν αὐτῶν λέγοντες δόγματα, *tanquam qui per ſectas alia atque*

[a] Marsham. *pag*. 508.

atque alia de iisdem rebus ſentiant & doceant. Orcheni autem videntur dicti ita ab antiquiſſimo oppido in terra Sinear, quod Geneſ. x. 10. *Erech*, & ſecundum quidem ſeu proximum poſt ipſam Babelem in regno Nimrodeo, nominatur. Illud enim *Erech* poſtea dictum a Græcis videtur Ὀρχόη. Certe malim hujus Urbis nomen ab *Erech* repetere, quam ab *Ur* Chaldæorum, ſed & ab *Erechi* nomine derivare potius *Orchoen*, quam *Araccam*, ultra Tigrim ſitam, quod facit Bochartus *Phalegi* IV. 16. Jam vero Ὀρχηνοὶ contracte dicuntur pro Ὀρχοηνοί. Vide Scaligerum ad Fragmenta Veterum *Emendationi Temporum* adjecta pag. 11. Patet autem hinc, Chaldæos per varia Terræ Sinear oppida fuiſſe olim, ſed poſt Nimrodi Regnum & Succeſſores, ac forſan demum ſub Aſſyriis, ſparſos, ut infra oſtendemus.

CAP.

CAP. VI.

Locus Esaiæ XXIII. 13. *exponitur. Babylon plerumque aliis, & maxime Assyriis fuit subjecta.* Esarhaddon *Assyrius occupavit Babylonem, atque idem est, qui* Assaradinus *in Canone Ptolemaico. Huberi socordia. Phrasis illa,* Non Fuit, *exemplis multis illustratur. Livius* x. 21. *emendatur.* צִיִּים *varie potest in d. l. exponi. Parentheses in S. Scriptura frequentes. Tyrus antiqua, seu Palætyrus, in continenti fuit sita, & vere a Nebucadnezare Babylonio destructa, mansit Babyloniis subjecta usque ad Cyrum. Antea Duplex Tyrus, Vetus & Nova, non fuit, sed postea demum. Josephus explicatur, & notatur vel emendatur. Loci Esaiæ etiam aliæ examinantur expositiones.*

EMENSI tandem sumus hasce salebras, quibus traditam a Sacris ac Profanis Scri-

Scriptoribus, & constanter hucusque receptam de ultima Babylonicæ Urbis antiquitate sententiam, implicare & refellere studuit Cl. Marshamus: & ostendimus quam nihili rationibus eam in rem sit usus. † Nunc progrediemur ad locum Esaiæ,

† Quaedam eorum, quae hic disputat Perizonius, refellere conatus est Vir Doctus, Gulielmus Jameson, in *Spicilegiis Antiquitatum Aegypti, atque ei vicinarum gentium*, Glascuae A. clↃ IↃ ccxx. editis, Cap. V. §. 2. quem locum integrum huc transferre, quam in pauca contrahere, maluimus. Perdoctus, inquit, Marshamus pag. 483. 484. (*pag.* 514. 515. *Ed. Lips.*) scribit hunc Esarhaddonem esse eundem cum Assaradino in Canone Ptolemæi memorato, eumque Babyloniam recuperasse, & misisse Duces, qui ceperunt Manassem, & in his firma est concordia (quæ alioquin rarissima est) inter eum & Perizonium. Nam hic Origin. Babylon. Cap. VI. affirmat *Babylonem, paulo post Legatos a Baladane ad Hezekiam missos, recidisse per Esarhaddonem Assyrium iterum in potestatem & ditionem Assyriorum.* Istud pernegamus. Sed probare nititur ex eo, quod nomen conveniat. Sed nulla est sequela. Rex Judæ & Rex Israëlis *poster. Reg.* Cap. XIII. habuere unum nomen, & regnabant eodem tempore, minime tamen unus homo erant. *Tempus* (pergit Vir Doctissimus) *convenire deprehendet, qui in Canone Ptolemaico ab initio Nabopolassari retro versus computabit annos usque ad initium Assaradini, & similiter in S. Scriptura a mediis annis Josiæ, cujus tempore regnare cœpit Nabopolassar, usque ad medios annos Manassis, qui tempore Esarhaddonis Regis Assyriæ ductus*

Esaiæ, quo solo nititur Urbis ejus originem referre ad seriora Nabonassari tempora, præter illud tamen argumentum, quod petere eum diximus ex Canone Ptolemaico, qui a Nabonassaro quidem ducit initium, non tamen ideo, quod ille in Ca-

 none

ductus est Babylonem. Sed (1.) Rationes sui computi summum Virum fallunt. Nam inter initium Nabopollassari, & initium Assaradini, sunt anni 55. inter medium autem Josiæ regni & medium Manassis, nisi 45. (2.) Qui norit Vir Consultissimus Manassem omnino in medio regni sui captivum fuisse ductum? (3.) Qui constat Esarhaddonem Niniviticum solummodo 13. annos regnasse, nisi prius probetur, eum eundem esse cum Assaradino canonico: quod nullis argumentis evictum est? Nam objectionem ex *poster. Paralip.* Cap. XXXIII. comm. 11. & ex *Ezra* Cap. IV. supra dissolvimus. (4.) Esarhaddon Niniviticus cœperat regnare anno 15. vel saltem 16. anno Hezekiæ, quod nemo, qui Sacras Literas attente legit, ne addam Tobitum, inficiabitur. Sed Assaradinus non potuit sublevari in solium ante vigesimum septimum Manassis, ut conferenti Canonem cum Sacris Literis constabit. Ergo Esarhaddon Niniviticus, & Assaradinus canonicus, necessario diversi sunt. Sed jam, cum in mentionem hujus Canonis incidimus, potest quæri, cur non ille Canon sit productior, annis multo altius numeratis, quam habet Ptolemæus? An ignarus erat Astronomicarum observationum, quas Callisthenes misit ad Aristotelem? Quod Canon non sit productior, hanc rationem tradit Syncellus *pag.* 207. ex Beroso et Polyhistore nimirum: Ναβο-

νάσα-

none isto, aut usquam alibi, dicatur condidisse eam Urbem, sed quod, ut Syncellus ex Beroso & Alex. Polyhist. refert, Nabonassarus iste corruperit & aboleverit PRI-

νάταρος συναγαγὼν τὰς πράξεις τῶν πρὸ αὐτοῦ Βασιλέων, ἠφάνισεν, ὅπως ἀπ' αὐτοῦ ἡ καταρίθμησις γίνεται τῶν Χαλδαίων Βασιλέων, *Nabonassarus collectis priorum Regum gestis, qua ratione posteriorum Chaldaorum Regum enumeratio a se inciperet, edixit.* Verum, si locus est conjecturis, autumem Nabonassarum fuisse primum, qui Regis titulo, vel verius Proregis, ab Assyriis ornatus est. Et cum Baladan, quem unum ex posteris Nabonassari fuisse reor, excussit Assyriorum jugum, Canonem hunc fuisse factum, & per succedentes Reges continuatum, ut memoriam suæ Familiæ & Originis conservarent. Confirmantur hæc, me arbitro, ex *Isai.* Cap. XXIII. comm. 13. *En Terram Chaldaorum. iste Populus non fuit* &c. Nam cum Babylon haud modico tempore fuisset deserta & neglecta, propter eluviones aquarum: tandem prævalentes Assyrii, aquis alio derivatis, aptam habitationem hominibus reddiderunt, ut haberent commodam stationem לציים *Navibus suis.* Et Nabonassarem, quendam ut videtur ex Chaldæis, Proregem sive Præfectum, in his locis constituerunt. Jam autem in Canone omnes anni ab initio Nabonassari ad finem Nebucadnetzaris sunt 186. qui retro numerati recurrunt ad tempus Achazi, vel haud multo ante, vel post: quo tempore Assyrii omnia per Orientem subigebant. Utcunque res se habet, nullus est Rex ante Nabocollassarum seu Nebucadnetzarem, quem constat sub nomine canonico in S. Scripturis reperi-

PRIORUM Regum gesta, ea tantum causa, quod item diserte additur, ut sic necessario ab se demum hæc Chronologia initium suum duceret. Sed de Canone illo

periri. Dicunt Mardokempadum in Sacris literis nominari Merodach, sed nescio an tempora conveniunt. Baladan quoque habet aliqualem gracilem similitudinem cum Belibo: sed talibus non fidendum est. Certum est tamen mihi Baladan memorari in Canone; sed sub quo nomine me latet. Eum Grotius in Cap. 39. *Isaiæ Medum fuisse dicit*; eodem sane jure Belgam, vel Gallum, fecisset. Opinor Chronicon omnium Regum, quos Canon numerat, scriptum fuisse, sed periisse ante Berosum. Quod de Callisthenis collectione dicam non habeo, nisi quod forsan Ptolemæi diligentiam fugerit. Sed quamvis hæc Callisthenis collectio, atque multæ procul dubio observationes hujusmodi, rubigine temporis edacis amissæ sunt; est tamen quod summe gratulemur Christiano nomini ob hunc canonem nobis relictum. Nam non solum connectit Sacram & Profanam historiam, sed insuper duorum Regum, Nabopollassari, i. e. Nebuchadnetzaris, & Ilvarodami nomina comprehendet; quæ raro omnino reperiantur. Haec *Jameson.* Si verum est e Scriptura Sacra & ipso Canone Ptolemaei liquere, non convenire inter se tempora Esarhaddonis & Assaradini, infirmum, immo nullum, est argumentum eorum, qui similitudine nominum ducti *Esarhaddonem* S. Scripturae, & *Assaradinum* Canonis Ptolemaici eumdem esse existimant. Tamen, praeter Perizonium, etiam Usserius, Spanhemius, atque alii Viri docti in ea sententia fuerunt;

egimus jam in ſuperioribus. [a] Locus Eſaiæ XXIII. 13. ſic ſe habet: *Ecce* ארץ כשדים / *Terra Chaldæorum*, זה העם לא היה / *Hic populus non fuit*, אשור יסדה לציים / *Aſſur fundavit*, vel *firmavit eam*, *Navibus*, vel *ferocibus incolis: erexerunt ſpeculas*, ſeu *turres ejus*, *excitarunt palatia ejus* ſeu *arces*: Hic tamen populus *poſuit*, vel *redegit eam* (Tyrum, cujus excidium hoc capite ex profeſſo prædicitur) *in occaſum* vel *interitum*. Vir Doctiſſimus [b], qui nusquam neque in Regno Nimrodi Geneſ. x. neque in Colonia Beli Babylonem ducta apud Diodorum, *Urbem* reperire potuit, hic tandem eam reperit, ubi diſerte tamen *Terra* tantum & *Populus* memorantur. Nam ſic Eſaiam interpretatur, nullis plane expoſitionis ſuæ rationibus allatis: *Aſpice Babylonem*, *ſplendidam nunc Chaldæorum metropolim: Populus*, *qui Urbem illam occupat*, *non ita pridem incertis ſedibus vagabatur in ſoli-*

runt; adverſus quam mihi hoc ſolum ex omnibus, quae hic disputat Jameſon, praecipuam vim habere videtur, quod rationem temporis obſtare contendit, ne pro uno homine haberi poſſint. Hoc ſi ei eripi poſſit, de quo alii videbunt, cetera, quibus hanc ſententiam infirmare nititur, non maximi momenti ad eam debilitandam eſſe puto.

a *Cap. II.*
b Marsham. *p.* 509.

ſolitudinibus. (*Nabonaſſar*) *Aſſyrius homines σκηνίτας eo deduxit, Urbem munivit, arces excitavit, palatia condidit.* Quid alii de tali interpretatione ſentiant, neſcio. Certe ego ferme crediderim, Virum Doctiſſ. eam commentum, non quod vere ita ſentiret, ſed ut paradoxam plane & falſiſſimam ſententiam, a Scriptura S. prout ſemper & communiter eſt expoſita, ac Veteris Hiſtoriæ conſenſu, recedentem, ex ea tamen ipſa Scriptura, qualicunque modo, ſpecie, aut animo, tueretur. Meæ contra Expoſitionis rationes ſimpliciter ex Hiſtoria illius Temporis, & Verborum phraſi ac nexu, dabo, atque ita clariorem difficili loco lucem præſtare conabor.

Magna autem iſtius loci difficultas cum in aliis, tum in eo etiam eſt ſita, quod dicitur *Populus Chaldæorum non Fuiſſe.* Nam revera exſtitit jam dudum antea, & proinde memoratur non modo in libris Moſis, ſed & Jobi I. 17. quippe cujus camelos abduxere tribus agminibus irruentes *Chaldæi*, & ſervos obtruncavere. Præterea dicti fuerunt veriſimiliter prorſus *Chasdim*, ut ſuperius [a] jam diximus, & cenſent etiam Hieronymus in Geneſin, & Kimchius ad hunc Eſaiæ locum, a *Chaſed* Abrahami Fratris Filio, qui cum familia & poſteris

 ſuis

a *Cap.* IV. *in fin.*

ſuis iſtic loci habitavit. Vide præter Bochartum, etiam Frid. Spanhemium in *Hiſtoria Jobi* cap. 4. Quid ergo? Populus, qui vaſtaturus erat Tyrum, antea *Non Fuiſſe* dicitur, quia nullo antea fuit numero & loco apud alios populos, ὐδ' ἐν πολέμῳ ἐναρίθμιος, οὐδ' ἐν εἰρήνῃ: cum Tyrii contra florerent jam opibus & potentia. Atque hinc poſt Moſen in rebus & Hiſtoriis Reip. Iſraëliticæ vix usquam ille memoratur ante Nabuchodonoſori tempora. Cauſſa eſt, quod fuit ſubjectus pene ſemper Aſſyriis, eorumque in nomen, leges, & ditionem conceſſerat. Etenim jam olim, poſtquam habuiſſet Urbs Babylon aliquandiu Reges Patrios, accepit dein Reges Arabas, & non ita diu poſt Aſſyrios, a Nino ſubacta, ut liquet ex ſerie Regum Babyloniorum in Euſebii *Chronico*. [a] Deinde vero videtur quidem excuſſiſſe tandem jugum Aſſyriorum, & ſuos denuo accepiſſe Reges, ſed inglorios tamen omnes & imbecillos, ut non abſurde colligitur etiam ex eo, quod tempore Eſaiæ Merodach Baladan, Rex Babelis, miſit Legatos & munera ad Ezechiam, tanquam Minor, & Amicus Ezechiæ contra Aſſyrium, quem pariter metuebant, & qui tunc ex Judæa maxima cum ignominia & clade fuge-

a *Pag.* 14.

fugerat: contra vero Ezechias ostendit istis Legatis omnes suas opes & divitias, tanquam Major, vel certe Opulentior ipsorum Rege. Utcunque id se habeat, recidit certe Babylon paulo post per Esarhaddonem Assyrium iterum in potestatem & ditionem Assyriorum.

Certum id mihi ex eo, quod omnia, *Nomen*, *Tempus*, *Regnum*, conveniunt inter *Esarhaddonem* S. Scripturæ, Regem Assyriæ indubium, & *Assaradinum* Canonis Ptolemaici, exhibitum nobis istic itidem, ut Regem Babyloniæ. *Nominis* convenientiam negabit nemo, qui ad alia attendet Orientalium nomina, a Græcis aliter plane quam ab illis pronunciata, quæ tamen eadem fuerunt Nomina. Ita *Evilmerodach* Græcis *Ilvarodamus*; *Achasuerosch*, *Axares* vel *Xerxes*; *Darjavesch*, *Darius*; *Nergalsarezer*, *Neriglissor*. Infinita sunt alia. *Tempus* convenire deprehendet, qui in Canone Ptolemaico ab initio Nabopolassari retro versus computabit annos usque ad *initium Assaradini*, & similiter in S. Scriptura a mediis annis Josiæ, cujus tempore regnare cœpit Nabopolassar, usque ad medios annos Manassis, qui *tempore Esarhaddonis* Regis Assyriæ ductus est Babylonem. *Regnum* itidem convenit, siquidem Assaradinus in Canone Ptolemaico est

Rex Babyloniæ: Eſarhaddon vero, qui poſt Sennacheribum in Aſſyria regnavit, ut conſtat, fuit ſimiliter *Dominus Babyloniæ*. Nam Manaſſes Ezechiæ ſucceſſor, victus eo tempore ab *Aſſyriis*, *Babylonem*, ut d.-xi, eſt ductus, † 2. Paralip. XXXIII. II. Fuit

† Objectionem ex II. *Paralip.* Cap. 33. comm. 11. & ex *Ezra* Cap. IV. comm. 2. ſe jam ſupra diſſolviſſe ſcribit Jameſon in iis, quae paullo ante ex eo deſcripta ſunt. Diſſolvere voluit Cap. IV. §. 6. ubi haec leguntur: Jam ut abſolvamus Sennacheribi negotium, reverſus eſt confuſus Niniven: ubi in Templo Nisroch a Filiis ſuis interfectus eſt; qui fugientes ad Armeniam dubio procul non quieverunt: ſed Eſarhaddoni Fratri ut videtur minimo, qui Patri ſucceſſit in regno, abunde negotii faceſſiverunt: multis, quibus novus Rex, aut rerum conditio, non placebat, ſeſe ad eos aggregantibus. Atque iſtud vulnus, ut credi par eſt, Aſſyriacæ Reipublicæ nunquam coaluit. An is Eſarhaddon ſit idem cum eo memorato *Ezr.* Cap. IV. comm. 2. dubitatur; ſed nobis videtur in loco *Ezræ* non Sennacheribi Filium, ſed Patrem Salmanaſſarem intelligendum eſſe: quem binominem eſſe vero haud diſſentaneum eſt. Nam cenſemus Sennacheribi Filio non ſuppetiſſe otium transferendi novos Colonos in Palæſtinam, ob turbas domeſticas, nec forſan opus fuiſſe, cum Avus ejus Salmanaſſer copiam Colonorum illuc traduxiſſet. Exiſtimamus igitur cum Joſepho lib. XI. cap. 2. Cuthæos & ſocios non Filium, ſed Patrem Sennacheribi, in Samaritidem tranſtuliſſe. Βαλλομένων, inquit, δὲ τοὺς θεμελίους τοῦ ναοῦ, καὶ περὶ τὴν οἰκοδομὴν αὐτοῦ λίαν ἐσπουδακότων, τὰ

Fuit ergo Urbs illa neceſſario tunc in ditione Aſſyriorum. Præterea ex Babylonia hoc tempore miſſi ſunt a Rege Aſſyriæ coloni in terram Iſraëlis, unde Iſraëlitæ per Aſſyrios paulo ante fuerant deportati. *E Babele* miſſos *a Rege Aſſyriæ* diſerte di-

τὰ πέριξ ἔθνη, καὶ μάλιστα τὸ Χουθαίων, οὓς ἐκ τῆς Περσίδος καὶ Μηδικῆς ἀγαγὼν Σαλμανασάρης ὁ τῶν Ἀσσυρίων βασιλεὺς κατῴκισεν ἐν Σαμαρείᾳ, ὅτε τὸν Ἰσραηλιτῶν λαὸν ἀνάστατον ἐποίησε, *Hi dum Templi fundamenta jaciunt, & in hoc ædificando toti ſunt, circumfinitimæ gentes, præcipue Cuthæi, quibus olim e Perſide ac Media traductis Salmanaſſar Aſſyriorum Rex in Samaria, Iſraëlitis inde ſublatis, novas ſedes dederat.* Marshamus *pag.* 483. eumque ſecutus Perizonius in *Ægypt. Antiq.* Cap. XIII. putant expeditionem ab *Iſaia* Cap. XX. memoratam, factam ab Eſarhaddone, Filio Sennacheribi. Atque hoc ut probet Perizonius, ita ſcribit: *Neque vero Sennacheribus inter Deos urbium, qui nihil juverint ſuos populos contra ipſum, usquam Deos Asdodi, ſicut Deos Chamathæ, Arphadi, Zepharvajimorum, Samariæ &c. memoraverat. Non fuit ergo Sargon ille Sennacheribus, ſed potius, ut cenſuit jam Marshamus pag.* 483. 484. *Eſarhaddon.* Hæc ille. Sed eis noſtram ſententiam minime labefactari autumamus. Nam conſtat, Joſepho teſte, Salmanaſſarem totam Phoenicem, & proinde ipſius urbes, excepta Tyro, cepiſſe. Sed nullius harum meminerunt fæciales Sennacheribi, ſed ſolummodo quarundam aliarum, quas rati ſunt forte Hezekiæ minus notas, utpote plerumque remotiores, quarum ignotis & minus congruis nominibus Regem terrere ſatagebant. Hæc, quae citata, &

alia

citur 2. Reg. XVII. 24. adde & §. 30. Hunc autem Regem fuisse *Esarhaddonem*, nominatim traditur Ezræ IV. 2. ubi etiam *Babylonii* inter illos in Israëlitica terra locatos memorantur §. 9. Sic liquet igitur, Babylonios hoc tempore in potestatem Assyriorum redactos, atque adeo Esarhaddonem inter Reges Babyloniæ debuisse in Canone Ptolemaico memorari. Agnoscit illud & docet ipse Marshamus p. m. 483. 484. Sed & sensit idem jam dudum Doctiss. ille Usserius Armachanus ad Ann. 3323. breviter monens, *Esarhaddonem* Regem

alia ejusmodi, utinam eruditis Viris nunquam excidissent! Magis tamen miror Marshami sequentia verba: *Postquam Babylonii per annos octo sine Rege vixissent, deficiente forsan stirpe regia, Rex hic* (Esarhaddon) *ea opportunitate fretus, Babylonem occupat, & utrumque Assyriorum regnum (quod a Nabonassari tempore duplex fuerat) in unum redigit.* Hoc dico mirum est: nam revera unum imperium post mortem Sennacheribi in duo distractum est; non duo in unum redacta. Post hunc licet aliquandiu Ninive forsan regnatum sit, nihil tamen de his Assyriacis, seu Niniviticis Regibus literis mandatum est. Objicitur comm. 11. Cap. XXXIII. *poster. Paralip. Adduxit Jehova contra eos* (Judæos nimirum) *Principes exercitus, qui erat Regi Assyriæ*, &c. Sed pace doctiorum hic intelligo Babylonios: nam hos Assyriorum nomine venire *Genes.* Cap. X. comm. 10. & *Michæ* Cap. V. comm. 6. una collata abunde nos docere videntur. Et Josephus lib.

gem Aſſyriæ Babylonios ſub antiquum jugum reduxiſſe, & fuiſſe eundem, qui in Canone Ptol. *Aſſaradinus* vocetur. Atque idcirco ad Ann. 3335. porro ſcribit: *Poſt Eſarhaddonem imperium Aſſyriacum ſimul & Babylonicum adminiſtravit Saosduchinus*; refutans deinde *Junium*, qui *ex Anniano Metaſthene docet, a Rege Babyloniæ Manaſſen captum & deductum Babelem: Hunc autem Regem Babelis factum etiam Regem Aſſyriæ, & ſucceſſiſſe Eſarhaddoni Magno.* Qua in re notanda eſt flagitioſa Ulr. Huberi ſocordia, qui, ipſe licet negligentiſſimus Scriptor, & ſimul indoctiſſimus, tamen Dili-

lib. x. cap. 4. *ὡς γὰρ*, inquit, *τοῖς αὐτοῖς ἐπέμενον, πόλεμον ἐπ᾽ αὐτοὺς ἐκίνει, παρὰ τοῦ τῶν Βαβυλωνίων καὶ Χαλδαίων βασιλέως, Cum enim in iisdem perſeverarent moribus, Hoſtem illis Deus immiſit Regem Chaldæorum & Babyloniæ.* Porro ſi fuiſſent Ninivitici ſeu Aſſyrii proprie dicti, procul dubio Niniven, haud quaquam Babylonem, ovantes Manaſſem duxiſſent. Inſuper manifeſtum eſt ex multis Scripturæ locis tempore Manaſſæ captivitatis, atque ſequentibus temporibus, Babylonios, non Aſſyrios, rerum in Oriente fuiſſe dominos; ſaltem præ Niniviticis caput efferre cœpiſſe. Dicitur quidem Pharaoh Nechoch aſcendiſſe contra Regem Aſſyriæ II. *Reg.* XXIII. 29. ſed ibi per Regem Aſſyriæ Regem Babyloniæ intelligendum eſſe, hoc idem Caput atque ſequentia aperte clamant. Et poſt hanc Manaſſæ captivitatem Babylonium omnia, Niniviticum autem nihil geſſiſſe in Scripturis legitur. Hactenus *Jameſon.*

Diligentiſſimi & Doctiſſimi Uſſerii errores, ſi Diis placet, nobis recenſet, interque eos, ipſe potius errans, hunc quoque refert, *quod, poſt Eſarhaddonis ſeu Aſſaradini exitium, Babyloniorum Reges Ninivem occupaſſe, regnumque Aſſyriorum cum Chaldaico conjunxiſſe, ductus conjecturæ ſuæ perſuaſione, ſcribat Uſſerius*. Vide ejus Libellum *de Ætate Aſſyr*. p. 124. & in *Tom*. I. *Hiſt. Civ*. p. 80. Nusquam enim illa Uſſerius, ſed plane contraria tradit: Reges ſcil. Aſſyriæ occupaſſe Babelem, & factos ita quoque Reges Babyloniæ. Quin, quæ Huberus Uſſerii *conjecturæ* adſcribit, ea ille, ut a Junio tradita, palam & diſerte refutat. Ceterum ita videmus, quomodo Populus Chaldæorum, a cujus Secundo Rege (poſt Aſſyrios a Cyaxare Medo & Nabopolaſſare Babylonio jam debellatos) Nebucadnezare ſcilicet, Nabopol. Filio, excifa eſt Tyrus, paulo ante fuerit *non Populus*, certe non ſui juris, nullius nominis, aut exiſtimationis: & proinde inter Populos, qui bella cum aliis gererent, aut gerere poſſent, non numeratus.

Phraſis autem iſta, *Hic populus Non Fuit*, eo ſenſu propter præcipuam Emphaſin eſt elegantiſſima, & in omnibus ideo Linguis obvia. Quid enim ſimilius dari poteſt, quam uſitatiſſimum illud apud Comicos, *Nul-*

Nullus ſum, h. e. eo ſum loco, quaſi non amplius eſſem aut viverem, ſed ut pro mortuo & jam Nullo haberi queam? Ejusdem generis eſt, quod ait Livius I. 25. de pugna inter tertium jam Curiatium, ſaucium feſſumque, & Horatium, integrum victoremque; Curiatius *feſſum vulnere, feſſum curſu, trahens corpus, victusque fratrum ante ſe ſtrage, victori objicitur hoſti. Nec illud prœlium fuit*, h. e. tam facile victus & occiſus fuit, ut hoc illorum inter ſe prœlium vix *prœlii* nomen mereretur. Similiter Adherbal de Fratre Hiempſale, jam occiſo ab Jugurtha, apud Sall. *Jug.* c. 14. *Non enim Regnum, ſed fugam, exilium, egeſtatem, & has, quæ me premunt, ærumnas, amiſiſti. Atqui Regnum* revera amiſerat ſua nece Hiempſal, ſed, ſi maxime ſuperfuiſſet, non habendum tamen illud fore pro Regno, quippe quod continua malorum ſerie fuiſſet infeſtatum, dicere voluit Adherbal. Sic Phryne celeberrima meretrix, ſurgens a Xenocrate Philoſopho, quem ad libidinem pellicere nullis artibus potuerat, ſe venire dixit, οὐκ ἀπ᾽ Ἀνδρὸς, ἀλλ᾽ ἀπ᾽ ἀνδριάντος, *non a Viro, ſed a ſtatua*, quaſi pro Viro non haberet hominem nullis illecebris penetrabilem, aut affectibus obnoxium. Vide Diogen. Laërt. in *Xenocratis* Vita, & Valer. Max. IV. 3.

IV. 3. Propius etiam est Esaiæ verbis, quod Psal. XXII. 7. legimus, ubi David se irrideri & contemni ab omnibus querens ait: *Ego vermis sum, & non Vir, opprobrium hominis, & contemptus a populo.* David igitur, opprobrio & contemptui habitus, non erat aliis Vir, sicuti Populus Chaldæorum, Assyriis subjectus, non fuerat Populus Tyriis. Denique sic Deuteron. XXXII. 21. *Ipsi irritarunt me* בלא אל ἐπ᾽ οὐ θεῷ, h. e. *colendo Deum, qui non est Deus. Et ego provocabo eos* בלא עם / ἐπ᾽ οὐκ ἔθνει, h. e. *per Populum, non Populum*, respectu Dei; subjicitur enim, quasi expositionis gratia, בגוי נבל *per gentem stultam* vel *improbam.* Ita ergo & Populus Chaldæorum, a quo Tyrii erant debellandi & expugnandi, ante fuit לא עם *non populus*, politica scil. ratione, & respectu Tyriorum aliorumque, quia non erat sui juris, suique arbitrii, & inter populos nullo loco & numero. Adde his disertissimum Crassi, Senatoris Romani, dictum ad Consulem Philippum, apud Valer. Max. VI. 2. 2. *Non es mihi, Philippe, Consul, quia nec ego tibi Senator sum.* Quomodo & Cicero passim de Pisone & Gabinio Consulibus, maxime *Famil.* I. 9. *cum Resp. non Consules haberet, sed Mercatores Provinciarum, & seditionum servos ac ministros.* Hinc jam emen-

emendandum quoque putem Livium x. 21. ubi MSti & olim impreſſi, *Adverſus quatuor populos Duces Conſules illo die deligi meminiſſent.* Malim enim, *Duces*, *non Conſules*, h. e. qui non tam geſturi eſſent Conſulatum in Urbe, quam Duces futuri Exercituum contra quatuor hoſtiles populos: atque idcirco deligendos eſſe meminiſſent his comitiis tales Conſules, qui magis ſint idonei, ut Reip. præſint belli foriſque, quam domi & in pace.

Sic expoſita hac phraſi, reliqua jam paulo faciliora erunt, quum ex ſuperioribus pendeant. Nam *Aſſur hunc Populum* vel *Terram*, ſibi jam ſubjectam, *fundavit Navibus*, h. e. deſtinavit eam Navali ſuo & emporio, ut Babylon eſſet Aſſyriis veluti portus & forum commercii navalis. *Navigabatur* enim, teſte Strabone *lib.* XVI. p. 739. 740. & Plinio VI. 26. *e Perſico mari Babylonem* usque, & ultra, ſed quod Perſæ dein inhibuerunt, metu τῶν ἔξωθεν ἐφόδων, *ne exteri ſuum imperium a mari invaderent.* Quin ipſe Eſaias XLIII. 14. tribuit Chaldæis *Naves celeberrimas*, vel, ut alii, *Naves*, *in quibus exſultabant & gloriabantur.* Poſſumus etiam exponere τὸ צִיִּים quod in loco, de quo agimus, occurrit, & de *Navibus* a multis hic explicatur, de *feris & barbaris hominibus*, ſive exteris &

pere-

peregrinis, sive Militibus, satis plerumque barbaris, quibus, post emerita stipendia, vel perpetratum periculosum aliquod bellum, Rex Assyriæ videri queat concessisse, & ita illis quasi fundasse, hanc terram vel ejus partem, colonia inde in Samariam missa, ut modo ostendimus, exhaustam: idque pro more Regibus & Imperatoribus usitato, incolas terrarum nuper occupatarum mutandi. Sed neque absonum foret, interpretari illud de *Animalibus deserti*, quibus Chaldæorum terram quasi dediderit Assyriæ Rex, dum eam bello primum vastavit, & dein incolis inde deportatis in alias terras exhausit. Nam ejusmodi animantia manifeste notat ea vox etiam alibi apud Esaiam. Vide XIII. 21. & XXXIV. 14. Ceterum tempus rei gestæ si quæramus, referri id forsan commode satis possit ad Ninum & Semiramin, qui Babylonem subegisse dicuntur a Græcis. Atque ita sensus foret controversi loci: Populum hunc fuisse antea contemptum & invalidum, utpote primo ab Arabibus, dein ab Assyriis subactum: Assyriam porro Semiramin auxisse (quod Græci itidem de Ea tradunt) & firmasse eam Terram, vel Urbem antea exiguam, & fecisse idoneam Navibus & Emporio. Malim tamen referre hæc omnia ad tempus Esarhaddonis,

qui

qui Babylonem utique occupavit tempore ipſius Eſaiæ, aut ſtatim poſt ejus Mortem, atque ita forſan vel Navalibus ſuis eam deſtinavit, vel Regionem ejus civibus priſtinis exhauſtam reliquit primo, aut Animantibus deſerti, aut Feris & barbaris hominibus ſuo ex exercitu. Sequentia autem ita cum hisce jam connectenda videntur, ut Aſſyrii dein, non ipſi Chaldæi aut Babylonii, *erexerint ſpeculas* ſeu *turres ejus, & excitaverint palatia ejus*, ſiquidem valde veriſimile eſt, Aſſyrios, quum eam Regionem in poteſtate ſua haberent (maxime ſi ita hunc locum interpretemur, ut ſtatuamus, eam illos idoneam judicaſſe ac reddidiſſe Claſſi ſuæ ſeu Emporio, vel etiam Coloniam iſtuc miſiſſe) muniviſſe ergo eam inſuper turribus, & ornaviſſe palatiis, in quibus vel Satrapæ habitarent, vel Reges ipſi diverterent in eam venientes, prout ſolebant Reges Orientis, ut vel ex Perſicis Regibus eſt notiſſimum, aliam partem anni in alia Urbe ac Terra agere, & ideo diverſis in Urbibus habere ſua palatia, quæ & Babylone habuerunt, Perſidis certe Reges jam inde a Cyro, quippe qui iſtic hiemem potiſſimum agebat. Vide Barn. Briſſonium, *lib.* I. de *Regno Perſarum*. Ita vero Chaldæi ſeu Babylonii etiam palatia & turres ſuas primum accepiſſent

 ab

ab Assyriis, quod ipsum declarat fuisse populum nullius per se potentiæ, quippe qui etiam ornamenta sua, quæ dein ostentabat, a Victoribus & Dominis suis habuerit. Ea autem, qualiacunque fuerint, certum est ex hoc loco, jam ante Nebucadnezarem exstitisse, licet cum magnificentia & amplitudine operum deinceps ab illo vel Nitocride exstructorum comparari nullo modo queant aut debeant.

Hanc autem descriptionem Chaldæorum, & mentionem Assyriorum, tanquam in parenthesi, S. Scripturæ usitatissima (Vide 1. Sam. XVII. 12. 13. 14. 15. Matth. I. 21. 22. 23. 24. sed maxime Rom. I. 1. 2. &c. ubi inter simplicem hanc salutis dicendæ locutionem, Παῦλος πᾶσι τοῖς οὖσιν ἐν Ῥώμῃ, tres descriptionum παρενθέσεις interjectæ reperiuntur) positam, accipio, atque idcirco initium paragraphi repeto, & conjungo cum ejusdem fine; *Ecce Terra Chaldæorum (Hic populus &c.) posuit* vel *redegit eam*, Tyrum, de qua hoc capite agitur, *in vastationem & interitum*. Terra scil. illa hoc fecit, cujus incolæ antea non fuerunt populus sui juris, quippe subjectus tunc Assyriis. Etenim liquet sic satis ex Historiis, primam & antiquissimam Tyrum, quæ floruit temporibus Regni Judaici, subversam non ita diu post hæc

Esaiæ

Esaiæ tempora fuisse, & quidem haud dubie à Nebucadnezare. Certum utique est, exstitisse Tyrum antiquiorem eâ, quam longo tempore post expugnarunt Græci, seu Alexander Magnus, siquidem præter Hanc, a Strabone, Diodoro, Curtio, & Plinio, Alia memoratur, dicta dein *Palætyrus*, h. e. Antiqua Tyrus, sita in continenti, *tribus stadiis a mari*, ut in *Periplo* Scylacis [a] traditur, vel, ut Ezechiel XXVII. 3. *ad aditus maris:* quum Hæc, ab Alexandro occupata, suam in vicina Insula sedem fixisset. Illa vero prior quin deserta & destructa fuerit per bellum, quo ceteræ Urbes Syriæ & Phœnices vastatæ sunt a Nebucadnezare, nullum est dubium, præsertim quum *ab eo dirutum iri hanc Urbem* disertissime prædixerit Ezechiel. Ita enim *cap.* XXVI. §. 2. & 7. ait, quia *lætabatur Tyrus, quod fracta esset Hierosolyma* a Nebucadnezare; *Ecce Ego adducam contra Tyrum Nebucadnezarem Regem Babyloniæ, cum Equis, Curribusque, & Equitibus, & turba, populoque multo.* Ne vero dubites occupatam quoque esse, destructamque; & quidem illam, quæ in continenti fuit sita, על תבאות הים, *ad aditus maris*, pergit §. 10. *Præ agminibus Equorum ejus operiet te Pulvis eorum, præ stre-*

 pitu

[a] *Pag.* 101. *Ed. Gronov.*

pitu Equitum & Essedorum commovebuntur muri tui, *quum* INTRABIT PORTAS *Tuas*, *quasi aditus Urbis*, *cujus mœnia sunt dirupta. Ungulis Equorum suorum conculcabit omnes plateas tuas &c.* Manifestum enim ex hisce, sicuti id toto Capite prædicitur, revera secundum hanc Prophetiam destrui à Nebucadnezare debuisse Tyrum, cujus ille *Muros sit dejecturus*, *turres & domos solo æquaturus*, *opes direpturus*, *populum interempturus*, immo quæ post hanc destructionem *non sit denuo excitanda*, sicut dein exædificata fuit illa Antiqua Tyrus. Sed & omnia illa de *Equis*, & eorum *Pulvere*, *Equitibus*, & *Curribus*, *intraturis portas*, *& conculcaturis plateas Tyri*, minime conveniunt Urbi, in insula tota undique *ex ipso Mari* exstructæ, ut de hac loquitur Curtius IV. 2. 9. *Muros turresque Urbis præaltum mare ambiebat*: sed potius Urbi in Continenti sitæ, ut fuit παλαιὰ Τύρος. Conferri cum his merentur, quæ Josephus habet *lib.* I. *contra Apionem.* [a] Berosi istic fidem probaturus, ait, omnia, quæ ille de Rege Babyloniorum Nebucadnezare tradiderit, quod scilicet *Syriam & Phœnicen omnem subegerit & subverterit* (κατεστρέψατο) confirmari Annalibus Tyriorum antiquis, & nominatim Philo-

a *Pag.* 1045.

Philoſtratum ipſi *in iis conſentire*, qui memoraverit etiam *obſidionem Tyri*. Qua obſidione, *Antiq*. x. 11. *extr*. ex eodem Philoſtrato ſcribit, *annos* XIII. *oppugnatam* eam Urbem. Adde jam, quod, quum hoc tempore Tyrii etiamdum habitaverint in continenti, ut modo oſtendimus, at poſtea tempore Alexandri inſulam incoluerint, & jam tunc iterum floruerint opibus & potentia, quod igitur illa ſedis mutatio ſatis liquido declaret, deſtructionem Veteris Tyri antea vere factam; qua etiam de cauſa, & ut ſimilem deſtructionem deinceps evitarent, poſteriores Tyrii inſulam, quaſi ſedem tutiorem, ſibi elegiſſe videntur. Jam autem ab aliò, quam à Nebucadnezare & Chaldæis, priorem illam fuiſſe deſtructam, nusquam in Hiſtoriis reperitur. Conſequens ergo eſt, vere a *Nebucadnezare Babylonio*, ſicuti Ezechiel prædixit, & a *Chaldæis*, ſicuti hoc loco Tyriis denunciat Eſaias, dirutam, atque internecioni datam veterem illam Tyrum.

Sed turbare heic videtur Joſephus, qui *lib*. I. *contra Ap*. [a] poſt Ithobalum, ſub quo obſeſſa Tyrus, alium inſuper memorat Regem, qui per x. annos Tyriis præfuerit. Hinc ergo Uſſerius *An*. 3432. exiſtimat, Tyrum, non vi captam aut præ-

[a] *Pag*. 1046.

dæ expoſitam, ſed certis conditionibus deditam, idque porro ex Ezech. XXIX. 18. 19. colligendum cenſet, ubi ait Propheta, Nebucadnezarem & ejus copias non ſatis dignum operæ Deo navatæ in ſubjuganda Tyro tuliſſe pretium, atque idcirco Deum illi deſtinaſſe etiam Ægyptum vaſtandam & diripiendam. Sed contraria plane & diſerte prorſus ab eodem Ezech. traduntur *cap.* XXVI. §. 12. immo toto illo Capite, in quo *diripienda*, *deſtruenda penitus*, ac *redigenda in rupem incultam*, *nec ædificanda amplius* dicitur. Unde liquet, ſimpliciter ergo Caput XXIX. explicandum, quaſi Nebucadnezar in opibus Tyri direptis non ſatis amplam habuerit operæ ſuæ mercedem, atque idcirco Deus illi conceſſerit etiam totius Ægypti, regionis longe amplioris & opulentioris, deprædationem. Quod ad Joſephum attinet, neque ex eo quicquam idonei poteſt elici contra illam deſtructionem. Nam nihil obſtat, quominus, Tyro vaſtata, populo tamen iſtius regionis præfecerit Nebucadnezar aliquem, ſive *Regis*, ſed precarii, ſive *Satrapæ* ſui, nomine ac titulo. Sic Hieroſolyma exciſa, & Judæis Babylonem abductis, tamen reliquiis populi præfecit Gedaliam, 2. Reg. XXV. 22. Et ſimiliter Ægypto vaſtata, ſicuti prædixerat quoque

Ezech.

Ezech. XXIX. XXX. XXXI. videtur iſti quoque Regioni præfeciſſe Amaſin, qui ipſe tamen dein, poſt mortem Nebucadnezaris, veri *Regis* ſumſit vindicavitque ſibi titulum: certe enim hac ſola appellatione Græcis cognitus fuit. Vide Uſſer. *An.* 3433. Quin immo de Tyriis conſtat ex ipſo hoc Joſephi loco, fuiſſe deinceps Babyloniis ſubjectos, ſiquidem *Babylone accepiſſe* dicuntur ſuos Præfectos vel Regulos, & continuó poſt Ithobali ſucceſſorem, qui unus poſt Ithobalum *Rex* appellatur, habuiſſe non amplius Reges, ſed Δικαςὰς *Judices*. Sed tamen alia ſuperſunt in hoc Joſephi loco, ex quibus ut ſe expediant, miris ſe modis torquent peritiſſimi Chronologi, & graviſſimis interim ſe implicant difficultatibus. Etenim Scaliger ad Fragmenta *Emendationi Temporum* addita *pag.* 33, 34. cenſet ex hoc loco, Tyrum per XIII. annos obſeſſam, & captam tandem a Nebucadnezare aliquot jam annis, antequam Hieroſolyma ab eo occuparetur & deſtrueretur: licet Ezechiel *Cap.* XXVI. §. 1. diſerte interitum Tyro denunciet demum ipſo *undecimo anno*, ſcil. poſt deportationem Jechoniæ, qui annus eſt ultimus Zedekiæ, & ipſe annus deſtructæ Hieroſolymæ: ſed & addat §. 2. rationem hanc exitii, Tyriis a Deo deſtinati, *quia*
 dicit

dicit Tyrus, euge, fracta est Hierosolyma, &c. Accidit ergo & obsidio & oppugnatio Tyri post destructam jam Hierosolymam. Vidit hoc tamen Scaliger quoque, & ideo tandem *pag.* 37. duplicem nobis fingit expugnationem Tyri, priorem ante Hierosolymam destructam, posteriorem ab Ezechiele denunciatam, sed quam *sibi plane ignotam* ait, & satis aperte rejicit. At quare se tot salebris Vir summus implicuit? quia scil. Berosi fragmentum apud Josephum *lib.* I. *contra Apionem pag.* 1044. mordicus sequitur, sed male intellectum, quippe in quo neutiquam agitur de obsidione Tyri, ut ostendit jam Petavius de *Doctrina Temporum lib.* IX. c. 63. *pag.* 148. Et dein, quia annorum Tyriorum Numeros apud Josephum *pag.* 1046. licet manifeste corruptos, ut mox videbimus, recipit & tuetur. Neque id valde miror, quum iidem hi Numeri etiam Petavium videantur egisse transversum. Nam & ille tribus annis ante Hierosolymam destructam existimat Tyri obsidionem cœptam, sub Ithobalo Tyriorum Rege, qui ipse tamen, etiam post expugnatam & destructam Tyrum, septem vel octo annis Rex Tyriorum manserit. Vide Eum *d. l. p.* 151. At vero neque hæc ullam habent veri speciem. Nam primo, cui per-

persuadebitur, Nebucadnezarem, cœpta jam superiore anno Tyri, munitissimæ Urbis, obsidione, aggressum simul oppugnare Hierosolymam, cujus Regi fœderatus insuper erat Hophra, seu Apries, Rex Ægypti satis validus, quem proinde suppetias Hierosolymæ laturum, ut revera ferre tentavit, credere debuit? Satis utique negotii habuisset in una illa Urbe, quæ etiam per XIII. annos obsidionem ejus elusit & sustinuit, ac reliqua Syria penitus domanda. Deinde quam parum probabile est, Tyrum ab eodem Hoste, eodem tempore, oppugnatam, exsultaturam tamen, quod *Hierosolyma* ab illo communi Hoste esset expugnata & *confracta*? quod tamen fecisse dicitur diserte ab Ezechiele *d. l.* Immo vero res ea, seu victoria communis Hostis eo tempore, & immanis illa Urbis itidem munitissimæ, & quæ eundem Hostem habebat, destructio, idonea fuisset vel maxime ad terrorem & consternationem, immo metum & luctum, animis Tyriorum itidem ab eo tunc obsessorum incutiendum. Denique neque hoc verisimile, Regem Ithobalum, contra quem bellum suscepit Nebucadnezar, & a quo XIII. annis circa unam hærere Urbem fuit coactus, illum tamen post captam jam Tyrum, eamque non dedi-
 tam,

tam, ſed expugnatam & penitus dirutam, relictum in Regno Gentis ab iſto elati animi & ſuperbiſſimæ arrogantiæ Victore. Accedit, quod, ſi verum id fuiſſet, Joſephus tunc illos annos Ithobali, qui inter finitam Tyri obſidionem, & Regnum Baalis intercefferunt, exprimere, & in rationes computationis ſuæ referre debuisſet, ut ita Lector in comparatione Judæorum ac Tyriorum Chronologiæ eos quoque numerare poſſet. Id vero nulla ex parte tentavit ille aut fecit; manifeſto indicio, tales annos ex ſententia Joſephi non exſtitiſſe, certe eorum neque illum habuiſſe, neque nobis habendam eſſe rationem. Quin, quod vel præcipue confutat hanc ſententiam, diſertiſſime Ezechiel *cap.* XXVIII. §. 8, 9. &c. Regi Tyriorum, æque ac ipſi Urbi, denunciat interitum, & cædem, qua *confodiendus* ſit a victoribus. Contra omnia hæc ſtatuit illud tamen Petavius, non auctoritate ulla Scripturæ S. nec profani alicujus Auctoris, ſed ſolis illis annorum Numeris apud Joſephum inductus. Locus autem ille occurrit *lib.* I. *contra Apion. p. m.* 1046. & corruptus eſt ſine dubio ac mutilus. Etenim id iſtic agit Auctor, ut etiam ex vicinarum & illuſtrium Gentium, Babylonicæ & Tyriæ, Annalibus probet Hiſtoriæ Ju-
daicæ

daicæ veritatem, quod ad intervallum, quod inter deportationem Judæorum Babylonem, & reditum ex Babylone priſtinam in patriam, interceſſit. Memoraverat ea cauſa Chronologiam Babyloniorum, & inde tranſit ad Tyriorum ἀρχεῖα & Scriptores. Refert proinde ſub Ithobalo Tyriorum Rege accidiſſe obſidionem Tyri, & addit, qui, & quot ſinguli annis, Reges vel Judices ejus Urbis dein exſtiterint usque ad primum Cyri annum. Omnibus autem illis tribuuntur annorum Numeri, ex quibus conjunctis non major emergit ſumma, quam XXXV. annorum & trium menſium. Et tamen ſubjicitur, *Ergo omne tempus eſt annorum* LIV. *& trium menſium inſuper*. At vero ex annorum Numeris ab Joſepho expreſſis neutiquam, ut diximus, illa exoritur ſumma, ne tum quidem, quando iis etiam XIII. anni obſidionis ſub Ithobalo adduntur. Nam vel ſic haberemus tantum annos XLVIII. Et tamen iſthæc Joſephi verba tantas excitarunt turbas in animis & ſcriptis Eruditorum, ut illis inducti affirmaverint ea, quæ nullam habent veri ſpeciem. Accedit & aliud ex vulgata lectione incommodum, quod in ea nullum exprimatur ab Joſepho Principium, unde computatio iſthæc annorum LIV. ſit inſtituenda, quod tamen exprimi

æque

æque debuiſſet, ac Finis ejus, qui collocatur in primo Cyri anno, ſeu in XIV. Hiromi, Tyrii Regis. Nam incipit demum Joſephus a Baalis, qui Ithobalo ſucceſſit, Regno annos numerare. At vero inde, ut diximus, usque ad I. annum Cyri, exoriuntur, non LIV. ſed XXXV. anni. Deinde, nulla etiam iſtic comparatio Chronologiæ Tyriæ cum Judaica aut Babylonica, quæ cum Judaica jam fuerat comparata, invenitur, quum tamen, niſi hæc fiat, incaſſum ad partes vocetur Chronologia Tyria, quippe quæ ita nihil prorſus probabit ejus rei, quam ex inſtituto Joſephi probare debebat. Quid enim, quæſo, ad ſpatium dicti jam intervalli in Hiſtoria Judaica probandum ex Tyriorum Annalibus juvant nos illi LIV. anni, quando neſcimus, cum quibus Judaicis, aut etiam Nebucadnezaris, annis illi conveniant. Et tamen ex Joſepho eruere id non poſſumus, niſi ſi in proximis ſequentibus recte emendatis id inveniamus, ſed quæ Viri Summi aliam in partem perverſis emendationibus flectunt. Verba ſunt, ἑβδόμῳ μὲν γὰρ περὶ τῆς Ναβȣχοδονοσόρȣ Βασιλείας ἤρξατο πολιορκεῖν Τύρον, τεσσαρεσκαιδεκάτῳ δ᾽ ἔτει τῆς Εἰρώμȣ Κύρος ὁ Πέρσης τὸ κράτος παρέλαβε. Vertitur, *Septimo ſiquidem anno regni ſui Nabuchodonoſor cœpit obſidere Tyrum: Quarto-*

deci-

decimo autem anno Regis Iromi Cyrus Perſa tenuit principatum. Manifeſte corruptum eſt illud περὶ, pro quo legendum ἔτει, omnes cenſent. Sed &, quod obſidio Tyri iſtic ab *ſeptimo anno Nabuchodonoſori*, ſeu Nebucadnezaris, arceſſitur, id vero rejicitur ſimul ab Scaligero & Petavio, quia neutrius Hypotheſi, licet diverſæ, congruit ille annus. Concurrunt ergo pariter in unam emendationem, quam Petavius, Scaligerum hic ſecutus, quaſi ſuam oſtentat, illum ceteroquin, ubi refutat, diligenter ſatis nominans. Legunt autem, ἑβδόμῳ μὲν γὰρ ἔτει τῆς Ἰθωβάλȣ βασιλείας Ναβȣχοδονόσορος ἤρξατο &c. *Septimo namque anno Regni Ithobali cœpit Nabuchodonoſor &c.* Sed & rationem, præterquam quod *Septimus annus Nebucadnezaris* alienus ſit a tempore obſidionis Tyriæ, addunt hanc, *quia, cum Joſephus ex archivis Tyriorum intervallum illud explicaret, Tyriorum ergo Regum tempora dinumerari maxime oportuit.* Vide Petavium *d. l. pag.* 147. & maxime *p.* 150. Similiter Scaliger ad Fragm. *p.* 36. *extr. Non id agi, quoto anno Nabuchodonoſori obſeſſa ſit Tyrus, ſed de Ithobalo ſermonem eſſe.* At vero res mira eſt, non obſervaſſe Viros tam Eximios, nihil prorſus juvari Lectorem ab annis Ithobali expreſſis, ſed juvari multum ab annis Nebucadnezaris cogni-

cognitis. Per hos enim ſcire poteſt, quoto anno etiam Chronologiæ Judaicæ res fuerit geſta, quod potiſſimum, immo unice, ſcire Lector debebat, ut poſſet ejus veritatem ex Tyriorum quoque Chronologia agnoſcere. Speciosius paulo tentarunt hunc Joſephi locum Jac. Cappellus ad *An. Mundi* 3409. & Ed. Simſonius ad *Ann. M.* 3413. qui pariter principium obſidionis Tyriæ retulerunt ad XVII. Nebucadnezaris annum, & ideo legunt apud Joſephum, ἑβδόμῳ μὲν γὰρ καὶ δεκάτῳ ἔτει &c. Sed in iisdem tamen hærent difficultatum nodis deprehenſi. Nam & ipſi ſtatuere debent, Tyrum jam obſideri cœptam, antequam expugnata eſſet Hieroſolyma, & tamen de ea jam expugnata & deſtructa a communi Hoſte, exſultaviſſe Tyrios, jamdudum ab eodem Hoſte obſeſſos: Ithobalum quoque Tyriorum Regem, quem bello petiit immorigerum & rebellem ſibi Nebucadnezar, relictum tamen in Regno poſt captam & deſtructam jam Tyrum, quaſi Urbs gravius in Nebucadnezarem peccaſſet, quam ipſe ejus Rex. Denique coguntur diſerta verba Ezech. XXVI. I. *Et accidit undecimo Anno*, vertere & ſupplere. *Et fuit undecimo MENSE Anni.* Verum iſta quidem vis eſt interpretandi, quæ ubi adhibetur, neceſſe eſt, Hypotheſin, cui

cui illa ſervit, eſſe falſiſſimam. Rectius certe qualicunque emendatione tentaretur Joſephi locus, quam tali interpretatione Ezechielis prophetia, qua omnis deſignatio temporis in quamcunque velis Hypotheſin facillime verti poſſit. Quid ergo? Longe aliter tentandus & curandus eſt Joſephus: nam puto me veram inveniſſe viam ad omnia in pulcherrimam redigenda concordiam. Primum enim corruptus eſt haud dubie numerus LIV. qui neutiquam convenit cum ſingulorum Regum annis iſtic expreſſis, quod utique debebat. Nam quid, quæſo, ſibi vult illud, οὐκοῦν ὁ σύμπας χρόνος &c. *Ergo omne tempus eſt* LIV. *annorum?* Quodnam eſt illud *tempus omne*, niſi quod per partes in proximis ſuperioribus ab Joſepho usque ad quartum decimum Hiromi, ultimi Tyriorum Regis, qui iſtic nominatur, annum eſt expreſſum. Non debet ergo hæc ſumma excedere annos, quos ille ſingulatim memoravit, atque adeo pro πεντήκοντα τέσσαρα, vel ΝΔ. LIV. legendum omnino πέντε καὶ τριάκοντα, ΛΕ. *quinque & triginta*, qui numerus ipſis ſingulorum annis plane congruit. † Adde

† Si Virum Celeberr. Hieronymum van Alphen in adcuratiſſimo ac doctiſſimo *de LXX. annis Captivitatis Babylon. & de LXX. Hebdomadibus apud Danielem*, vernaculo ſermone ſcripto, & Expli-

de jam his XXXV. annis illos, quos Josephus expressit diserte in *Antiq. Jud.* X. II. *extr.* & qui videntur hoc in libro *contra Apion.* excidisse per librariorum incuriam, *Tre-*

Explicationi Cap. IX. Danielis addito, Commentario sequimur, locus non eget emendatione. In ejus Parte II. Cap. 8. tacite occurrens quaerenti Cl. Perizonio, quodnam sit *omne* illud *tempus LIV. annorum ac* 3. *mensium?* summam illam colligit e XIII. annis obsidionis Tyri sub Ithobalo, quos hic excidisse Perizonius ipse putat, X. Baalis, VII. ac 3. mensibus Judicum, connumerato inter hos anno Balatori, Merbali IV. & Iromi XX. qui omnes plane efficiunt annos LIV. mens. 3. Quia autem Cyri initium regni Babylonici, teste Josepho, in annum XIV. Iromi incidit, ut congruat intervallum temporis, quod inde usque ad annum 2. Darii Hystaspis effluxit, Cyro, qui secundum Canonem Ptolemaei, quem Josephus quoque sequutus videtur, regnum illud IX. annos tenuit, sex detrahit; ita ut post Iromi vigesimum ei tantum III. relinquantur. Addit deinde IV. annos, qui inter incendium Templi Hierosolymitani & obsidionem Tyri interfuerunt, VIII. Cambysis & Magorum, & primum Darii Hystaspis, quibus omnibus in unum contractis exit summa LXX. annorum ab everso Templo usque ad annum secundum Darii Hystaspis. Haec sententia mihi vel ob hoc unum magis probatur, quod ita retineri potest vulgata scriptura apud Josephum, a qua numquam, nisi necessitas cogat, quae hic nulla adparet, recedendum esse, Clar. van Alphen non sine ratione existimat. Nec satis intelligo, quomodo Cl.

Tredecim obſidionis Tyriæ, ſeu ultimos Ithobali: ſic habebimus XLVIII. Hi vero XLVIII. anni a quoto anno Ithobali incipiant, nihil magnopere ad rem pertinet, & ideo Joſephus id annotare neglexit. Sed a quoto anno Nebucadnezaris incipiant, illud

H vero

Cl. Perizonio in mentem venerit emendatio, quam ipſius mox ſequens alia emendatio plane reſpuit. Nam quum putet, hoc loco Joſephi intercidiſſe numerum annorum, quibus obſidio Tyri duravit, & itidem; ut X. *Antiq.* II. legendum eſſe, ἐπ' Ἰθωβάλου τοῦ βασιλέως ἐπολιόρκησε Ναβουχοδονόσορος τὴν Τύρον ἔτη ιγ', neſcio qua de cauſa horum XIII. annorum, quos ipſe huic loco inſerendos cenſet, in ineunda ſumma rationem non habendam putaverit. Quod autem Regi Balatoro annum ſeorſim a duobus poſtremis Judicibus Mytgono & Geraſtrato dat, quem Cl. van Alphen ſex illis annis, quibus hos duos Judices Tyriis praefuiſſe tradit Joſephus, comprehendit, non improbandum videtur. Nam Joſephum non exiſtimaſſe Balatorum eodem tempore regnum tenuiſſe, quo Mytgonus & Geraſtratus Judices erant, hoc indicio eſt, quod, quum hos per ſex annos Judices fuiſſe dixiſſet, δικασταὶ ἔτη ἓξ, continuo addit, ὧν μεταξὺ ἐβασίλευσε Βαλάτορος ἐνιαυτὸν ἕνα. Τούτου τελευτήσαντος ἀποστείλαντες μετεπέμψαντο Μέρβαλον ἐκ τῆς Βαβυλῶνος. Nam in his verbis ea ſeries & ordo narrationis atque orationis eſt, ut potius de ſucceſſione, quam conjunctione poteſtatis intelligenda ſint. Deinde, ſi annus Balatori contineretur ſex annis duorum praecedentium Judicum, nulla erat cauſa cur Joſephus magis voluiſſet dicere τούτου τελευτήσαντος, quam τούτων τελευτη-

vero ad rem vel maxime pertinet. Hic autem fuit *Tertius & Vigesimus*, & ideo pro ἑβδόμῳ μὲν γὰρ περὶ, quæ omnium consensu sunt corrupta, legendum omnino Εἰκοςῷ μὲν γὰρ καὶ τρίτῳ †, seu Γ. ἔτει, unde Περὶ videtur ortum. Sic enim omnia erunt expedita

λευτησάντων. Μεταξὺ autem etsi fortassis apud alios non invenitur pro μετὰ *post*, tamen etiam alio loco Josephi VI. *B. J.* 6. (*al.* V. 4.) eadem significatione legi ostendit Cappellus ad *Actor.* XIII. 42. cui alii addiderunt ex Theophilo ad *Autolycum* I. 14. τῷ δὲ ποιήσαντί σε Θεῷ ἀπιςεῖς δύνασθαί σε καὶ μεταξὺ ποιῆσαι; *post creare*, id est, ut Clar. Wolfius, *postliminio restituere & in vitam vindicare*. Doctissimus Hudsonus putat sic quoque accipiendum esse μεταξὺ apud Josephum II. *B. J.* 10. (*al.* 11.) μεταξὺ δὲ τῶν τῆς συγκλήτȣ ςρατιωτῶν τις σπασάμενος τὸ ξίφος, & ibi μεταξὺ interpretatur *postea*, quod ante vertebatur *inter haec*. Sed nihil est cur ei adsentiamur: nam Graeci ita dicunt μεταξὺ, etiam non addito nomine, aut participio, ut Latini *interim* & *inter haec*, quae ad verba Josephi interpretanda satis commode adhiberi possunt. Nec tamen, si annus unus Balatoro tribuitur, eo calculus LIV. annorum ac trium mensium vitiatur: quum enim Josephus dicat Cyrum anno quarto decimo Iromi τό κράτος παραλαβεῖν, annus ille Iromo detrahi, eique, quod Perizonius facit, XIII. anni dari possunt.

† Probat hanc emendationem Clar. van Alphen; nec tantum speciosa, sed forsitan etiam vera est. Est tamen quodammodo contorta oratio, εἰκοςῷ μὲν γὰρ καὶ γ' ἔτει τῆς Ναβȣχοδονοσόρȣ βασι-

dita & pulchre cohærentia. Etenim dixit Josephus paulo ante, Nebucadnezarem destruxisse Hierosolyma anno Regni sui *Duodevicesimo*, qui & erat Judæis Duodevicesimus a prima deportatione, seu ab anno quarto Jehojakimi. Ergo Tyrus obsideri cœpta quinto anno post Regnum Judææ debellatum & exstinctum, seu post Hierosolymam expugnatam, de quo læta adeo fuerat Tyrus, quasi omnes opes Syriæ, hac æmula sublata, ad se jam essent convertendæ. Dixerat enim Ezech. XXVI. 2. *Euge, quod confracta est Hierosolyma, avertetur ad me*, scil. ab Hierosolyma omnis jam potentia & opulentia, *replebor, postquam ita vastata est* Hierosolyma, omnibus divitiis. Nihil ergo mali illa metuebat tunc sibi, ne a Nebucadnezare quidem, Judæorum Hoste, a quo proinde obsessa necdum fuit. Sed & Deus ideo denunciavit tunc demum Tyriis, ut rem

 ad-

βασιλείας ἤρξατο πολιορκεῖν Τύρον, *tertio & vigesimo anno Nabuchodonosori regni coepit obsidere Tyrum*, pro ἐικοστῷ μὲν γὰρ καὶ γ' ἔτει τῆς βασιλείας Ναβουχοδονόσορος ἤρξατο π. Τ. Nec omnino necessarium puto pro περὶ scribi γ' ἔτει. Satis est, mea sententia, ἐικοστῷ μὲν γὰρ καὶ τρίτῳ: nam ex τρίτῳ facilius fieri potuit περὶ, quam ex γ' ἔτει; & ἔτει huc retrahi potest ex eo, quod statim sequitur, τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει τῆς Εἰρώμου, ubi eadem ratione ex praecedentibus supplendum est βασιλείας.

adhuc futuram, *d. l.* §. 7. *Adducam contra Tyrum Nebucadnezarem, Regem Babyloniæ, cum Equis, Curribus, & Equitibus.* Nihil itaque convenientius huic negotio statui potest, quam Tyrum non ante, sed quinto anno post Hierosolymam captam, atque adeo tertio & vigesimo Nebucadnezaris anno, obsideri cœptam. Confirmatur hæc mea Emendatio insuper ex ipso Josepho, qui *Antiq. Jud.* X. 11. *p. m.* 345. diserte ait, τῷ πέμπτῳ τῆς Ἱεροσολύμων πορθήσεως ἔτει, ὅ ἐστι Τρίτον καὶ Εἰκοστὸν τοῦ Ναβουχοδονοσόρου, στρατεύει ὁ Αὐτὸς ἐπὶ τὴν Κοίλην Συρίαν, *Quinto post Hierosolymæ vastationem anno, qui est Nebucadnezaris* XXIII. *bellum Idem ille intulit Cœlesyriæ.* Addit eam quoque subegisse illum, & sic in finitimas progressum Gentes. Sine dubio ergo ista expeditione in transitu quasi occupavit Cœlesyriam, & inde ad obsidendam Tyrum in Phœnice, Cœlesyriæ, si non parte (ut videtur in vulgari sermone habita apud Strabonem *lib.* XVI. *pag.* 520.) at regione proxima, sitam, se accinxit. Nam de bello contra Tyrios nominatim Josephus in *Antiq. Judaicis* vix ceteroqui loquitur, ut adeo sub *Cœlesyria* Tyrum omnino videatur complecti in hac Historia. Sed & Jeremias LII. 30. hoc ipso Nebucadnezaris anno *tertio & vigesimo*, Præfectum

fectum Satellitum ejus novam reliquiarum Judaicarum feciſſe deportationem tradit, qua ex re colligimus, eodem ut anno, ſic expeditione in Cœleſyriam ac vicinas regiones tunc facta, illud accidiſſe. Et ita ſimiliter, quando Nebucadnezar primam expeditionem anno tertio vel quarto Jojakimi ſuscepit in Judæam, Beroſus quoque eam memorans apud Joſeph. *lib* I. *contra Ap. p.* 1044. dicit tantum factam εἰς Αἴγυπτον, καὶ τὰς περὶ τὴν Συρίαν τὴν Κοίλην καὶ τὴν Φοινίκην τόπους, *in Aegyptum & loca Cœleſyriæ & Phœnices*, ne nominata quidem *Judæa*, quam tamen in ſervitutem ab illo tunc redactam ſcimus ex S. Scriptura. Nihil itaque novum, aut ab Veterum Scriptorum conſuetudine alienum facimus, ſi Expeditioni in Cœleſyriam apud Joſephum, & in Judæam apud Jeremiam, illam quoque in Tyrum, licet non nominatam, tamen eſſe adſcribendam cenſemus, quippe quum eodem anno Urbs iſta ſimul cum tota Cœleſyria fuerit bello a Nebucadnezare petita, & tandem, ſed aliquanto poſt demum, domita. Ceterum ab hoc jam anno XXIII. Nebucadnezaris usque ad Cyrum videnda nobis eſt ratio temporis Babylonici ac Tyrii, & conferenda inter ſe, ut ita ex iis tandem LXX. anni Judæorum a deportatione prima ad Cyrum

usque liquido confirmentur; quod unum Josepho fuit propositum. Nempe *annus primus Nebucadnezaris* est *annus quartus Jojakimi*, ut diserte ait Jeremias XXV. 2. & Josephus *Antiq. Jud.* X. 7. Inde ergo repetamus LXX. annorum & deportationis Babylonicæ initium. Josephus porro *lib.* X. *Antiq. cap.* II. *p.* 342. & *lib.* I. *contra Apion. pag.* 1046. *Duodevicesimo regni sui anno* Nebucadnezarem Hierosolymitanam Urbem & Templum destruxisse ait. Idem vero emergit annus ex Historia S. ab Jojakimi anno quarto. Inde enim si computes Septem ejusdem Regis Annos una cum tribus Mensibus Filii, ac Zedekiæ XI. annos, quorum ultimo capta est Hierosolyma, habebis etiam Duodeviginti. Petavius in *Rationario Temp. Parte Secunda*, *lib.* III. *cap.* 4. suam *Doctrinam Temporum* hac in parte corrigens, aliud inter Judæos, aliud inter Babylonios, initium Nebucadnezaris statuit, Judæos illud repetere ab ejus expeditione in Syriam & Judæam, h. e. ab anno Jojakimi quarto, at Babylonios a Patris ejus morte, quæ duobus annis serius acciderit; atque ideo ex Judæorum calculo tribuendos Nebucadnezari 45. annos, at ex Babyloniorum 43. Sed fallitur Vir Doctissimus: nam & in Judæorum Chronologia, non plus quam 43. anni huic Regi

ad-

adſcribuntur. Liquet id ex 2. Regum XXV. 27. & Jerem. LII. 31. ubi dicitur Jechonias XXXVII. anno ab ſua deportatione productus in aulam ex carcere ab Evilmerodacho Nebucadnezaris Filio & Succeſſore, primo Hujus regni anno. His vero XXXVII. annis ſi addas Septem, qui a Nebucadnezaris primo ſecundum Judæos, ſeu Jojakimi quarto, usque ad Jechoniæ deportationem numerantur, reperies XLIV. annos, quorum XLIII. ſunt Nebucadnezaris, quot illi tribuit Beroſus & Canon Babylonicus. Qui autem ſupereſt annus, primus eſt, ut oportebat, Evilmerodachi. Prorſus itaque in eundem concurrit annum apud utrosque, Babylonios æque ac Judæos, Initium Nebucadnezaris, nempe in quartum Jojakimi annum. Hinc jam ex Beroſo apud Joſeph. *p.* 1045. Nebucadnezaris anni XLIII.

Evilmerodachi	II
Nerigliſſoris cum Filio	V
Belſaſaris ſeu Nabonidi	XVII.

His adde Darii Medi poſt captam a ſe & Cyro Babylonem II.

Sed Hujus annos Beroſus omiſit, ut & Canon Babylonicus, qui Cyro eos adſcripſit, quia Cyri ductu Babylon fuit capta, & ille mox totum Medorum, Perſarum, & Babylonicorum tenuit imperium.

 Inde

Inde vero exoriuntur jam anni LXIX. Deest ergo unus, sed qui facile intercidit per excurrentes menses, non computatos, vel rejici ille in Cyri annum primum potest. Sed & Syncellus [a] diserte, & ex Canone quidem Babylonico, Tres Evilmerodacho tribuit annos, quod si recipimus, habemus ita ipsos LXX. annos ab Jojakimi quarto. Jam vero secundum Tyriorum Annales res eodem [b] redit. Etenim ab anno *Tertio & Vigesimo* Nebucadnezaris cœpit bellum & obsidio Tyri. Duravit hæc obsidio annos XIII.

Regnavit post captam Tyrum in reliquias Tyriorum voluntate Nebucadnezaris (vide hæc apud Joseph. pag. 1046.)

Baalus, X

Sequuntur Judices per Annos VII & Menses. 3

Rex iterum Balatorus I

Merbalus IV

Hiromus XIII

Nam ad ejus annum *quartum decimum* refert Josephus Cyri imperium, qui tum τὸ κράτος παρέλαβεν, *imperium acceperit*. At ex his jam oriuntur anni XLVIII. Quibus si præmittas XXII. annos Nebucadnezaris, a quarto Jojakimi ad cœptam Tyri obsidio-

a *Pag.* 208.

b Videtur sane eodem redire. add. tamen Clar. van Alphen. l. d.

dionem elapſos, habebis ita iterum illos ipſos, quos quærimus, LXX. annos. Recte ergo concludit Joſephus *d. l. contra Ap.* σύμφωνα ἐπὶ τοῦ Ναοῦ τοῖς ἡμετέροις γράμμασι τὰ τῶν Χαλδαίων καὶ Τυρίων, *Conſonant de Templo noſtris Hiſtoriis Hiſtoriæ Chaldæorum & Tyriorum. De Templo* ait: nam videtur (recte, an ſecus nunc non quærimus) LXX. illos annos Joſephus deduxiſſe potius ab Hieroſolyma & Templo deſtructis usque ad illud plane reſtitutum anno ſecundo Darii Hyſtaſpis, quoniam hac ipſa *pag.* 1046. A. ait, Duodeviceſimo Nebucadnezaris anno Templum Judæorum deſtructum, idque manſiſſe ita in LXX. † annos. Secundo autem Cyri ejus fundamenta iterum jacta, at ſecundo Darii plane reſtitutum. Et ſequuntur eum multi Patrum, ut & Euſebius. Sed vel ſic eadem fere erit computandi ratio, & manebit firmum noſtræ in Joſepho emendationis fundamentum, ſiquidem duodeviginti hi anni, qui regno Nebucadnezaris tunc de-

H 5 bent

† In Joſepho eſt ἦν ἀφανὴς (ὁ ναὸς) ἐπὶ ἔτη ἑπτά. manifeſto errore, pro ἑβδομήκοντα; de quo miror nihil monuiſſe Clar. Perizonium. Recte emendavit Clar. van Alphen & Joſephum, & Euſebium, qui IX. *Praeparat.* 40. Joſephi verba referens habet πεντήκοντα. In Syncello quoque *pag.* 226. perperam ex Joſepho editum eſt ἐπὶ ἔτη ν′, pro ό.

bent detrahi, reperiuntur denuo in intervallo a Cyri primo usque ad secundum Darii annum, qui nonus decimus est a Cyri primo. Ceterum vix possum æquo ferre animo, quod Viri Summi ita in dubium vocant Tyri destructionem ab Nebucadnezare factam, atque ipsam ideo respuunt aperte satis Ezechielis de ea prædictionem licet disertissimam. Nam Scaliger ad *Fragmenta pag.* 37. se illius prophetiæ eventum nescire ait. Nam *quando*, inquit, *Tyrus deleta, ut nullum in ea relictum sit vestigium? Quomodo nunquam instauranda, quæ nullo unquam tempore non munitissima, amplissima, populosissima fuerit?* Hoc vero quid est aliud, quam rejicere ferme, & refellere prædictionem seu denunciationem Ezechielis? Petavius quoque *de Doctr. Temp. d. l. p.* 151. quum præmisisset, *quis exitus fuerit obsidionis, merito quæri*, subjicit, post difficultates quasdam denunciationi Ezechielis objectas, hæc ipsa, *Probabile est, Tyrum a Nabuchodonosoro tunc minime fuisse subversam, sed deditione ac pactione tributi suis Regibus permissam.* Difficultates, quas movent, sunt eædem, quæ pag. 102. ex Usserio a me allatæ jam sunt & refutatæ. Nam quod *Reges* & *Judices*, non tamen *in eadem Urbe*, sed in eadem Gente, manserunt, re-

licti & constituti a Victore, minime probat Urbem non esse destructam, quum debuerit utique Nebucadnezar reliquiis Gentis, quam alio, ita ut Judaicam, abductam aut deportatam non legimus, aliquem præficere, quocunque Titulo. Et ita quum Jojakimum vicisset, occidissetque, ac mox etiam Filium ejus abduxisset Babylonem, constituit tamen Regem Judææ Zedekiam, Jojakimi Fratrem. Quum vero hic dein rebellasset quoque, bello novo eum petiit, cepit, & abduxit, ac Hierosolymam destruxit, sed Genti seu *Civitatibus Judææ præfecit Gedaliam*, ad quem abiit Jeremias, mansitque cum eo *in medio populi, qui Reliquus erat in terra.* Jerem. XL. 6. Factum hoc ita, licet destructa funditus jaceret Hierosolyma. Sic itaque nihil in eo argumenti est contra destructionem Tyri, quod leguntur constituti, primo *Rex* istius populi, qui residuus erat, a Nebucadnezare, & dein ab ejus Successoribus non amplius Reges, sed *Judices*, ac tandem iterum *Reguli*, sed Babylone accepti, ut supra pag. 103. jam ostendimus. Quod vero Græci Scriptores nihil de Tyro a Nebucadnezare destructa memoriæ prodiderint, nihil prorsus facit ad refellendam Ezechielis prophetiam. Quid enim Græci Scriptores,
non

non dicam de Tyro illa Vetere, ſed de ipſo Nebucadnezare, ſciverunt aut nobis tradiderunt? Et tamen res eum maximas geſſiſſe, immo Herculi Græco prælatum a Chaldæis, & ad Columnas usque Gaditani Freti victoriis ſuis perveniſſe, memorat ipſe Strabo *lib.* XV. *p.* 687. Sed quas proprie res geſſerit, tacent, ille æque ac Alii. An ergo verum non eſt, quod Hieroſolymam deſtruxit, quia apud Græcos nusquam legitur? Quam plurima ejus generis poſſent afferri ex tempore ante Cyrum elapſo, cujus temporis pauciſſima rerum in Aſia Superiore geſtarum illi ſciverunt. Nulla ergo eſt ratio rejiciendi idcirco deſtructionem Veteris Tyri funditus a Nebucadnezare factam (Vide & Cellarium *Geogr. Antiquæ Tom.* II. *lib.* 3. *cap.* 12. *pag.* 455. [a]) quum eam prædixerint Eſaias *h. l.* Jeremias XLVII. 4. ſed diſertiſſime Ezechiel aliquot Capitibus: quum porro habeamus apud ipſos Græcos & Latinos *Veterem Tyrum*, & *Novam*, ac illam quidem in continenti ſitam, ſed in pagi aut vici formam redactam, in qua tamen *antiquius*, quam erat illud Tyri Novæ, Herculis templum tempore Alexandri M. ſuperfuit, in quo *rectius* (Vide Juſtin. XI. 10.) idcirco ſacra facturum Ale-

a *Pag.* 278. *Edit. Amſtelod.* A. 1706.

Alexandrum dixerunt Tyrii: at Novam conditam in insula parva, quam totam una Urbs explebat, sed in qua sedem sibi ceperunt Tyrii, postquam experti fuerant in Vetere sua Urbe vim belli, & potentissimorum in Asia Regum, haud dubie, ne denuo his malis essent obnoxii, & ut tutius istic habitarent. Qui hæc negant, doceant nos, quæ tandem alia fuerit caussa relinquendæ Veteris Tyri, & condendæ Novæ. Adde jam his, quod ex ipsis tamen Tyriis Scriptoribus apud Josephum constet, Tyrum fuisse revera ab Nebucadnezare multis plane annis obsessam, ac redactam tandem in Babylonici regni potestatem, unde & postea suos Judices & Reges acceperint. Vix autem credibile, Nebucadnezarem Tyro, quæ tam diutinam victoriis suis moram injecerat, magis pepercisse, quam Hierosolymæ, aut minus Eam, quam Hanc, fuisse destructam, quum funditus utique diruendam prædixerint Prophetæ Sacri. Denunciationes autem illæ propheticæ sæpissime aliquid hyperbolici habent, quod non ita ad minimam est literam semper exigendum, quodque ideo in hac re turbare adeo non debuisset Viros Doctos. Liquet illud ita se habere non tantum in Tyro hac apud Ezechielem, sed & in

Aegy-

Aegypto Ezech. xxx. & Babylone, Jerem. Cap. L. & LI. ubi æque gravia Babyloni denunciantur, ac ab Ezechiele Tyro & Aegypto, atque adeo æque iſtic ſudarent Viri Docti, ſi ad literam probare deberent, Babylonem a Medis & Perſis captam, *ſubverſam eſſe, prout ſubverſa eſt Sodoma & Gomorra; non habitaturum deinceps in ea quenquam Hominis Filium, nec jumentum; redigendam in acervos, in latibulum Draconum &c.* Vide Jer. L. 13, 26, 39, 40. & LI. 29, 37, 43, 62. Uſitatæ fuerunt hyperbolicæ ejusmodi locutiones vel maxime in Oriente. Ceterum videtur Nova Tyrus ſub initia Monarchiæ Perſicæ jam exſtitiſſe, & mox iterum frequenti navigatione invaluiſſe, ſiquidem poſt LXX. annos Tyrus, ſed non illa Vetus, verum ea, quæ reliquias Veteris Tyri in inſulam collegit, ab Eſaia cap. XXIII. dicitur reditura ad priſtinum quæſtum, & canticum. *Septuaginta* hi *anni*, quibus quaſi *oblivioni erat tradita*, h. e. quibus minus celebris erat futura, ab his temporibus ducti, deſinunt in medio Darii Hyſtaſpis regno.

Ut tamen dicam, quod ſentio, putem potius, cœptam tantum Tyri obſidionem, quæ 13. annos duravit, ſub Ithobalo, at conſummatam demum Baalis,

qui

qui Ithobalo ſucceſſit, & Regum poſtremus memoratur, anno ultimo. Credibile enim eſt, Nebucadnezarem, ſicuti Judææ debellatæ non Regem, ſed Judicem, præpoſuit Gedaliam, ſic Tyriis itidem recens ſubactis præfeciſſe potius *Judices*, qui & apud Joſephum continuo ſequuntur, quam Regem: quamvis poſtea tamen *Reges* quoque Tyriis iterum fuerint, & quidem Babylone miſſi, ut ex *d. l.* Joſephi patet. Si numeri annorum, quos computat Joſephus, non reſpondeant penitus huic ſententiæ, neminem eos magnopere morari par eſt, quum frequentiſſime in iis lapſi fuerint librarii. Marshamus ad Sæculum XVIII. *p. m.* 537. &c. cenſet Tyrios a Nebucadnezare obſeſſos fugiſſe tandem ultro cum Rege Ithobalo in Inſulam, & ſtatim novam ibi condidiſſe Urbem. Scilicet eo quoque illum adegit *d. l.* Joſephus, quia alium etiam Regem Tyriorum poſt Ithobalum commemorat. At non tanti profecto hæc eſt ratio, & facilius longe expediri ea poteſt vel confutari, quam quod contra eam in eodem hoc loco legitur, Tyrios habuiſſe mox loco Regum *Judices*, haud dubie a Victore ſibi impoſitos, & dein iterum Regulos quidem usque ad tempora Cyri, ſed *ex Babylone* acceptos, vel arceſſitos. Quid enim

enim illud designat aliud, quam reliquias Tyri Veteris, unde Palætyrus exstitit, fuisse, non Regibus suis, sed Babyloniis, subjectas? Certe præ eo frigida prorsus est Marshami conjectura, Tyrios Novos ex Insula, nihil cum Babyloniis negotii habentes, petiisse tamen ultro ab illis suos Reges, quia eo abducti captivi quidam sanguinis Regii fuerint.

Major est in eo difficultas, quam a nemine eorum, quos consului, miror motam, quod apud Josephum *Ant.* IX. 14. & ex Menandro quidem [a], *Tyrii* opibus jam florentes, & feliciter bellum gerentes contra Regem Assyriorum Salmanassarem, qui Israëlitas debellavit deportavitque, distinguuntur à *Palætyro*, siquidem ab illis in hoc bello defecisse ad Assyrios dicuntur *Sidon*, *Ace*, & *Palætyros*. Unde facile quis colligat, Tyrum recentiorem simul cum Palætyro exstitisse, & jam tempore Salmanassaris floruisse, atque adeo exstruendæ ejus causam minime fuisse Palætyri vastationem, postea demum a Nebucadnezare factam. Sed nullus dubito, vel Josephum, aut forsan Menandrum, in his memoria lapsum, vel Librarios calamo suo

[a] Qui Annales Tyriorum e lingua Phoenicum Graece vertit. Joseph. *ibid.* & VIII. *Antiquit.* 2. *pag.* 267.

ſuo in voce ἡ πάλαι τύρος, cui, ſi mei res foret arbitrii, ſubſtituerem lubens Βηρυτὸς, Urbis in illo plane tractu ſitæ nomen, pro quo Librarios ſcripſiſſe crediderim ἡ Τύρος, alios dein diſtinctionis gratia addidiſſe πάλαι, atque inde ortum iſtic ἡ Πάλαι Τύρος. Nam hi Tyrii, contra quos Salmanaſſar bellum geſſit, fuerunt haud dubie ipſius Palætyri cives, ſiquidem Salmanasſar eos prohibuiſſe *flumine & aquæ ductibus* dicitur, quapropter ipſi *aquam ex puteis effoſſis per quinque annos biberint*. Quis enim non videat, per τὸν ποταμὸν, ſimpliciter ita deſignatum, intelligi *fluvium* iſtius urbis. Jam autem Scylax diſertisſime ait de Palætyro, ποταμὸς διὰ μέσης ῥεῖ, *fluvius per mediam urbem labitur*. Adde, quod Hiſtoria Tyri a Nebucadnezare dein obſeſſæ & deſtructæ liquido prorſus deſignet illam ipſam Palætyrum, quæ tamen apud Sacros Scriptores, tum apud Joſephum & Philoſtratum, ſimpliciter *Tyrus* in iſta Hiſtoria dicitur, ut debuit, quum nulla tunc alia eſſet. Neque vero ulla ex Hiſtoriis poteſt dari ratio vel cauſa, qui, aut unde, tempore tam antiquo, immo ante Tyri deſtructionem a Nebucadnezare factam, duæ exſtiterint Tyri, Vetus, & Nova, Vetere jam tunc longe potentior: Vel etiam, quæ cauſa fuerit jam ante Sal-

manaſſaris tempora exſtruendæ Novæ Tyri, quæ inſuper floruerit jam tunc quam maxime, quum utique tempore Homeri, haud multum antiquioris Salmanaſſare, adeo nondum fuerit cognita Græcis ulla *Tyrus*, ut ille ejus nusquam meminerit, qui *Sidonem* tamen memorat ſæpius, celebriorem inde & apud reliquos Poëtas, ut jam obſervavit Strabo *lib*. XVI. p. 756. † Ce-

† Duo praecipue ſunt in hoc Capite, de quibus aliter ſentit Vir Celeberrimus, & omni doctrina liberali politiſſimus, Hadrianus Relandus, *Palaeſtinae lib*. III. *pag*. 1050. *ſeqq*. Primum conatur oſtendere Tyrum inſulam jam ante Nabuchodonoſori aetatem habitatam fuiſſe: deinde, ea, quae de expugnata & everſa a Nabuchodonoſoro Tyro dicuntur, non ad eam, quae in continenti ſita poſtea Palaetyros dicta eſt; ſed ad exiguo intervallo a Palaetyro diſtantem inſulam, quae & ipſa Tyrus vocabatur, pertinere. Utrumque cum Scripturae S. tum aliorum Scriptorum auctoritatibus confirmat. Quae ex illa adfert, magnum pondus ad evertendam ſententiam Perizonii & aliorum habere videntur; quae ex his, aliquanto levius. Nempe, quum Prophetae vaſtationem Tyri praedicentes eam *inſulam*, & *in corde maris ſitam eſſe* dicunt, id non de Urbe in continenti poſita accipi poſſe contendit, &, quae contra dicuntur, removet: quae an ita firma ſint, ut convelli non poſſint, judicabunt linguarum Orientalium periti. Ex aliis Scriptoribus primum producit Judaeorum ac Tyriorum Annales apud Joſephum, qui VIII. *Antiquit*. 2. *pag*. 258. in iis ad-

Ceterum ex his omnibus jam ſatis patet, quomodo Chaldæorum populus antea contemptus, deinde tamen, extincto Aſſyriorum imperio, in tantum repente invaluerit, ut ſub ſecundo jam ſuo Rege Veterem illam Tyrum, opibus ac potentia florentem, adegerit in ruinam & deſolationem. Manifeſtum etiam putem, locum ergo Eſaiæ, recte expoſitum, neu-

adſervari refert Iromi ad Salomonem literas, in quibus Iromus petit, ut pro iis, quae ſe Salomoni miſſurum promittit, hic ſibi frumentum praebeat, οὗ, inquit, διὰ τὸ νῆσον οἰκεῖν δεόμεθα, *quo indigemus, quia inſulam incolimus:* quae deinde eodem *Cap. pag.* 267. repetuntur. Hoc quoque valere poteſt ad oſtendendum, inſulam jam tum habitatam fuiſſe; etſi inde non conſequitur, quod fortaſſis alicui in mentem venire poſſit, eam potentiorem fuiſſe Tyro, quae in continenti erat, vel Reges Tyriorum in ea ſedem habuiſſe.

Secundum argumentum ex loco Menandri apud Joſephum eſt, de quo *pag.* 128. agit Perizonius. Quos ibi *Tyrios* vocat Menander, *inſulares* fuisſe dicit Relandus: quod mihi ſecus videtur. Nolim adfirmare veram eſſe emendationem Perizonii vocis Παλαίτυρος; ſed ex iis, quae disputat, certum eſt locum corruptum, & ea, quae Joſephus ex Menandro refert, ἀσύστατα eſſe, nec inter ſe conciliari poſſe. Nec, quod ad Perizonii obſervationem addam, habeo, niſi hoc unum, ne veroſimile quidem eſſe inſulam exiguam, cujus totum ſolum una urbe occupabatur, νῆσος αὐτὴ ἡ πόλις ἦν, dicit Arria-

retiquam favere Cl. Viri sententiæ de recentissima Babylonis origine, quasi illo demum tempore, seu a Nabonassaro demum, conditæ, h. e. post ipsam Urbem Ro-

nus II. de *Expedit. Alex.* 18. fluvium & aquaeductus habuisse; in qua si fluvius fuisset, incolae a Salmanassare aquatione prohiberi non potuissent.

Nec magis validum videtur, quod tertio loco e Dio ac Menandro, rerum Tyriarum Scriptoribus, apud Josephum VIII. *Antiquit.* 2. *pag.* 267. seq. & I. *adversus Ap. pag.* 1042. opponitur; Hiramum Urbem Tyriam a parte Orientali ampliasse, & Templum Jovis Olympii, τὸ καθ' ἑαυτὸ ὂν ἐν νήσῳ, *quod seorsim* ab Urbe *in insula erat*, aggere jacto Urbi conjunxisse. Neque enim ex eo demonstrari potest Urbem, quam Hiramus ampliavit, in insula fuisse, aut, quod inde conficere vult Cl. Relandus, Tyrum a Nabuchodonosoro eversam, eam fuisse, quae in insula, non, quae in continenti erat, aut denique Tyrum insularem postea ex minoribus insulis conflatam videri. Nam nihil obstat, quo minus hoc Templum in parva aliqua insula haud procul continenti, ut Templum Aesculapii in insula Tiberina, esse, & aggere ab litore jacto Palaetyro conjungi potuerit.

Quartum petitum est ex Josephi lib. IX. *Antiquit.* 14. ubi scriptum est Salmanassarem *Tyrios*, cum quibus bellum gerebat, LX. navibus adgressum fuisse. Hoc quam vim habeat ad probandum ibi de *Tyro insula*, non de *Palaetyro* agi, equidem non intelligo. Nam, ne repetam quae paullo ante de hoc bello dicta sunt, e quibus clarissime liquet id adversus incolas Palaetyri gestum fuisse, nonne urbes maritimae conti-

Romam ; quippe quæ ſeptimo jam anno ante initium Nabonaſſareæ epochæ a Romulo exſtrui eſt cœpta, eo tempore, quo in Judæa regnavit Jothamus Uzziæ Filius.

tinentis, ut terra copiis pedeſtribus, ita mari claſſibus oppugnari poſſunt, & millies oppugnatae ſunt?

Nec deeſt, quod ad quintum argumentum ex Arriano, Herodoto, & Plinio reſponderi posſit. Scribit Arrianus II. de *Expedit. Alex.* 16. Alexandrum legatos Tyriorum inſularium jusſiſſe renunciare ſuis, ſe cupere in Urbem eorum venire ad ſacra Herculi facienda, quia Tyri erat *ἱερὸν Ἡρακλέους παλαιότατον, ὧν μνήμη ἀνθρωπίνη διασώζεται, templum Herculis antiquisſimum omnium, quorum memoria ſupereſt.* Hoc ait Vir Clar. neque de Templo in inſula poſt Nabuchodonoſori tempora (nam poſt hujus aetatem demum urbem in inſula conditam putat Cl. Perizonius) ſtructo dici potuiſſe, neque Tyrios id ulla veri ſpecie jactare, aut Arrianum ſcriptis conſignare auſum fuiſſe: quum & Herodotus II. 44. teſtetur ſe Templum illud Tyri vidiſſe, & Theophraſtus apud Plinium XXXVII. 5. dicat, *ſe ſcribente eſſe in Tyro Herculis Templo ſtantem pilam e ſmaragdo.* Sed primum, non repugnat Templum antiquiſſimum, & Urbem recentiſſimam fuiſſe: nam Templum multis ſaeculis in inſula ante urbem ibi conditam eſſe potuit. Deinde, Curtius, quem ante Arrianum ſcripſiſſe probabile eſt, quique eosdem, quos Arrianus rerum geſtarum Alexandri auctores habere potuit, rem aliter narrat: nimirum Tyrios reſpondiſſe Alexandro, *eſſe Templum Herculis extra urbem in ea ſede, quam Palaetyron ipſi vocant: ibi Regem deo rite ſacra fa-*

Quod ſi tamen aliter, ut plerique faciunt, Eſaiam interpretari quis malit, ne ſic quidem, quoscunque ſequatur Interpretes, quidquam in eo reperiet, quod Mars-

ſturum. Add. Juſtin. XI. 10. Denique, neque Herodotus Templum Herculis apud Tyrios a ſe viſum in inſula fuiſſe dicit, neque in verbis Theophraſti apud Plinium quidquam eſt, unde adfirmari poſſit id in inſula, non in Palaetyro, fuiſſe.

Nec eſt, quod quis objiciat, ſi Palaetyrus a Nabuchodonoſoro deleta fuit, quomodo ibi Templum Herculis ſupereſſe potuerit. Nam hic mos antiquis erat, ut victores in delendis urbibus, quas ceperant, ſaepe Templis, praeſertim vetuſtate ac religione venerabilibus, parcerent, cujus rei multa exſtant in Hiſtoria exempla. vid. Liv. I. 29. VII. 28. & Thucyd. IV. 116.

Agmen denique claudit locus Luciani in *Dialogis* (in *Judicio Vocalium pag.* 46. *Edit. Amſt.*) in quo Cadmus, qui literas ex Oriente in Graeciam adtulit, νησιώτης vocatur. Non reſpondebo incertam eſſe Cadmi patriam, quem quidam veterum a Thebis Aegyptiis, non ex Phoenice, in Graeciam veniſſe prodiderunt: quia de priſcis illis rebus, quarum certam memoriam longa vetuſtas & Scriptorum diſſenſus abolevit, nihil pro vero adfirmari poſſe, ſed tamen poſterius longe veroſimilius eſſe, puto. Sed hoc dico, Viros Doctos, qui rationes temporum confecerunt, dudum ex ſcriptis Veterum oſtendiſſe, Cadmum multis annis ante Tyrum conditam in Graeciam adpuliſſe: deinde, ſi ex ſententia Luciani, quae etiam plerorumque antiquorum ac recentiorum eſt, Cadmus ex Phoenice in Graeciam profectus eſt, tamen ex eo non

Marshami ſententiam firmet. Judæi in diverſa abeunt, ut ex Kimchio diverſas eorum exponente interpretationes patet. Ipſe autem ad antiquiſſima refert tempora Babylonis originem ex hoc ipſo loco,

non conſequi Lucianum exiſtimaſſe jam tum urbem Tyrum in inſula fuiſſe. Nam potuit Cadmum *inſulanum* vocare reſpectu ad id tempus habito, quo demum poſt Cadmum urbs in inſula excitata fuit; vel etiam ad ſuam aetatem reſpiciens, qua inſula, aggere cum Palaetyro continentis conjuncta, Cherſoneſus erat: quemadmodum Thucydides IV. 120. Scionaeos, incolas Sciones in Cherſoneſo Pallenes, νησιώτας, & *Cap.* 121. *ſeq.* Cherſoneſum illam νῆσον, & Arrianus I. *de Exped. Alex.* 9. Scionem νησιωτικὸν πόλισμα vocat, haud ſecus ac Melum, quae in inſula erat.

In hoc opinionum divortio adſentior Relando, inſulam jam ante Nabuchodonoſori tempora habitatam fuiſſe; quod ipſum tamen non diſertis verbis negat Perizonius, ſed tantum dicit non poſſe dari cauſam, cur urbs *inſularis* ante Nabuchodonoſorum *potentior* fuerit, ac *magis floruerit*, quam ea, quae in continenti erat; ſed urbem, &, quod magis eſt, celebrem ac potentem urbem ante Nabuchodonoſorum in ea fuiſſe, mihi non liquet. Ac potius crediderim Tyrios, incolas Palaetyri, ea pro navali & horreo quodam mercium, ac fabrica omnis inſtrumenti atque apparatus nautici uſos. De Tyro, urbe continentis, quae deinde Palaetyros fuit, a Nabuchodonoſoro everſa mihi probabiliora videntur ea, quae diſputat Perizonius, qui ſententiam ſuam tot undique argu-

quem ita exponit, ut *Aſſur* ſtatim a diſperſione *eam fundaverit* & condiderit *incolis deſerti*, ſed qui dein *exierit ex illa terra*, & ædificaverit ſibi Nineven: Chaldæi

mentorum quaſi vallo munit, ut non admodum facile cuiquam futurum ſit id perrumpere. Nec diffitetur Relandus verba quaedam Prophetarum de excidio Tyri praedicentium ejusmodi eſſe, ut non conveniant urbi in inſula ſitae; ſed hunc ictum ita declinat, ut dicat credibile eſſe Nabuchodonoſorum adverſus eam eadem arte uſum, qua deinde Alexandrum, id eſt, mole mari injecta inſulam continenti junxiſſe. Hoc etiam ſcripſiſſe Hieronymum adnotat Marshamus *pag*. 575. Sed nequaquam credibile eſt. Si Graeci & Latini Scriptores nihil de Tyro a Nabuchodonoſoro deleta prodiderunt, Tyrii ipſi tamen tempore Alexandri fatum urbis ignorare non potuerunt, quum nondum CCC. anni a Nabuchodonoſoro elapſi eſſent. Sed hos neſciviſſe quod de aggere a Nabuchodonoſoro jacto dicitur, ex eo intelligitur, quod Curtius IV. 2. ſcribit, eos *per ludibrium exprobraſſe Macedonibus, illos armis inclytos dorſo, ſicut jumenta, onera geſtare, & interrogaſſe, num major Neptuno eſſet Alexander?* quod certe interrogaturi non fuiſſent, ſi ulla urbis eadem ratione a Nabuchodonoſoro expugnatae apud eos memoria ſuperfuiſſet.

Haec habui, quae de diſſidentibus in hoc argumento ſententiis duorum ſummorum, mihique, dum vixerunt, amicorum Virorum, quorum erga me benevolentiae & officiorum ſemper in animo meo haerebit memoria, dicerem: de quibus judicium penes Lectorem eſto.

dæi autem illam tunc occupaverint terram, *qui* proinde *populus* a primo initio iſtic *non exſtiterit*, ſed dein ſibi *exſtruxerit ejus terræ turres.* Hujus ipſius tamen populi hoc itidem eſſe fatum, ut ſicuti ipſe hanc terram ab aliis acceperit vel ſibi ſubjecerit, ſic alii viciſſim illis eam ſint ademturi, & confracturi ejus palatia, ſecundum ſeriem & conſtantem viciſſitudinem rerum humanarum, ut ita liqueat omnibus, Deum eſſe hujus univerſi Dominum. Illud autem exemplum Chaldæorum vel Babyloniorum hic proponi, ne cui mirum videatur Tyrum iri deſtructum, quum & ipſa Chaldæorum terra ſit aliis prædæ futura. Verum in hac interpretatione, ut nihil aliud dicam, duriſſimum eſt illud, quod in eodem commate ſeu particula paragraphi, Verba הקימו / *exſtruxerunt*, & עררו *excitarunt*, vel, ut ille cenſet, *confregerunt*, diverſis tribuuntur Nominativis, quorum Neuter exprimitur: Prior quidem intelligitur ex Ellipſi Scripturæ S. non inuſitata, at Poſterior nulla ratione, nec ex Grammatica, nec ex ipſo ſenſu, eruetur, niſi quod de Hoſtibus quibuscunque accipi in illa interpretatione debeat, quod iſtic dicitur; & ſtatim inſuper tranſit ille Nominativus ex Plurali in Singularem. Chriſtiani arri-

puerunt tamen, certe poſtremum illud Kimchii, ut hic agi putent de exitio Chaldæorum, quod Tyriis in exemplum proponatur. Si id volumus ſequi, tum verterem, *Ecce Terra Chaldæorum*, *Hic Populus non eſt* amplius. *Aſſur fundavit*, firmavit, aſſignavit, *eam incolis deſerti*, vel potius, *animantibus deſerti*, ut in ea ab ſe maximam partem vaſtata habitarent: *Excitaverant* illi Chaldæi *ſuas turres*, *exſtruxerant ſua palatia*, ſed Aſſur *dedit eam exitio*. Commodus hic ſatis nexus rerum, quas retulerim ad tempora Eſarhaddonis, qui occupavit Babylonem, & terram incolis alio traductis exhauſit, & ſic aliquandiu vaſtam reddidit. Sed in his, ut nunc primum deprehendo, præeuntem prorſus habeo Piscatorem. Alii plerique intelligunt tempora Perſarum & Medorum, per quos dudum poſtea *Deus Babylonem peſſum dederit*. Verum in tota hac interpretatione, ſive Piscatorem ſequamur, ſive Alios, alieniſſimum mihi videtur, Tyriis in exemplum proponi, ſine ulla inſuper comparationis mentione aut indicio, exitium Babyloniorum & Chaldæorum, quum Babylonii & Chaldæi utique ipſi Tyrum eſſent debellaturi & deſtructuri. Adde, quod in poſteriore plerorumque interpretatione *Aſſuris* mentio

hic

hic plane frigeat, nec alicunde probari possit, quod illi hic ex Kimchio arripiunt, Assurem, Semi Filium, condidisse seu fundasse primum Scenitis Arabibus, seu Hominibus deserti, & inhabitasse ipsum, terram Chaldæorum, antequam ex ea egressus est, & exstruxit Nineven. Quid? si alia etiam via, & forsan omnium optima, tentemus hunc locum. Nam quæ obscura adeo sunt, & tantis tenebris obsita, in omnes, opinor, partes vertere licebit, ut liquidæ lucis aliquid accipiant. Nempe arripiamus ex Kimchio, Chaldæos ab ipso Dispersionis initio non fuisse in Babylonia, sed aliunde in eam postea venisse. Et sane si Chaldæi Hebraice *Chasdim* a *Chesed* Nachoris Filio fuerunt dicti, quod, ut plerique credunt, ita si non confidenter affirmari, certe neque liquido refutari potest, tum vero haud dubie etiam ab eo fuerunt potissimum orti. In illorum autem oppido, h. e. in pago, vel oppido, quod postea illi vindicarunt sibi potissimum, & quod ab illis ideo dein tempore Mosis cognominatum fuit, *Ur Chasdim*, habitavit jam paterna Abrahami Familia, & inde Abrahamus ipse cum Patre recta via per Charan seu Carras exiit in Cananæam; vide Bocharti *Phaleg.* II. 6. Fuit ergo oppidum illud in superiore

Meso-

Meſopotamia, unde & in Actis Apoſt. VII. 2. Abrahamo *in Meſopotamia, antequam veniſſet Charanem*, ergo habitanti adhuc in Ure Chaldæorum, dicitur Deus præcepiſſe, *ut inde exiret*. Sed & Joſuæ XXIV. 2. Majores Abrahami dicuntur *habitaſſe ultra flumen* Euphratem מעלם h. e. *ab ultima*, vel certe, *longa antiquitate*, ſeu ab initio Diſperſionis factæ. Conſediſſe deinceps, relicta Ure, Pater Abrahami & Familia ejus videtur *Charane*, quia erat hæc in regione Meſopotamiæ magis fertili & campeſtri, dicta *Paddan Aram:* certe Nachor Abrahami Frater, & ejus Filius Bethuel, & dein Laban Bethuelis F. habitarunt deinceps *Charane* in *Paddan Aram*, Geneſ. XXVII. 43. & XXVIII. 2. Hinc jam dicitur illa *Civitas Nachoris in Aram Naharaim*, h. e. in Meſopotamia, Geneſ. XXIV. 10. immo & tota illa terra Meſopotamiæ, *ex qua exierat* Abrahamus (exierat autem proprie ex Ure Chaldæorum) appellatur *Terra Abrahami*, & *Terra Cognationis* ſeu *Familiæ ipſius*, Geneſ. XXIV. 4, 5. 7. Conſedit itaque Nachor tandem Charane, & reliquit iſtic ſuam progeniem, ſed Filiorum, ut videtur, minorum natu. Nam majores etiam inde diſperſerunt ſe in vicinas regiones, & novas ibi ex ſe condiderunt familias ſeu gentes.

Sic

Sic enim Utz primogenitus occupavit terram ab isto dein dictam *Utz* sive *Ausitin*, Buz secundus terram *Busitin*. Minime igitur a vero alienum haberi potest aut debet, quod quartus Filius *Chesed* repetierit *Urem*, & ibi reliquerit suam progeniem & Gentem ab se dein dictam *Chasdim*. Certe hoc Nomen analogice prorsus a Nomine *Chesed* est formatum. Prolepsis quidem illa est, quando tempore Abrahami & ejus Patris jam dicitur illud oppidum *Ur Chasdim*, qui *Chasdim* postea demum hoc nomine istic exstiterunt. Sed talis Prolepsis cum apud alios Scriptores, tum apud Sacros, satis usitata ab omnibus agnoscitur. Hosce autem *Chasdim*, h. e. Chaldæos, videtur ex hoc Esaiæ loco *Assur* postea in Babyloniam transtulisse. Nam certe Chaldæos istic, post tempora Mosis, immo Davidis, demum reperimus, sed quos, unde orti fuerint, vel unde eo venerint, nescimus, nisi velimus Aegyptiis credere apud Diodor. Siculum *lib*. I. eos *sua* ex terra cum Belo profectos, sed quod confutavimus jam supra *Cap*. V. *p*. 71. &c. Quis autem *Assur* Chaldæos istic collocavit? Non certe Assur Semi F. ut voluisse videtur Kimchius. Nam neque ejus tempore exstiterunt vel istic, vel usquam gentium, *Chasdim*, seu Chal-

Chaldæi, neque tam potens ille fuit, ut aliam gentem in Babylonia, aliam in Assyria, conderet, quum & Assur iste, & ejus æquales, fuerint omnes unius tantum familiæ progenitores, quorum unus nihil juris aut potestatis habuit in alium, nec in alterius familiam. Quocirca *Assur* ille apud Esaiam fuit potius Gens & Rex Assyriæ, quicunque tandem is fuerit. Passim enim in S. Scriptura *Assur* notat collective Assyrios, seu ipsam Gentem. Crediderim autem id fecisse Ninum, qui Babyloniam sibi subjecit, & idcirco novum populum in Mesopotamia e regione suæ Assyriæ habitantem istic collocasse videtur ad Babylonios recens domitos in officio continendos. Dicæarchus apud Stephanum *de Urbibus* in v. Χαλδαῖος, *Chaldæos* a *Rege* quodam *Assyriorum* ita dicto, & appellatos, & collocatos Babylone, tradit, sed quem facit quartum decimum a Nino, atque adeo in tempora nimis sera rejicit. Sed non opus, ut in his ab Nino aut ejus proximis Successoribus discedamus, qui justissimam potuerunt habuisse causam, populum sibi vicinum & forsan fidum in alterius remotioris & recens subactæ Gentis terram fertilissimam transferendi, vel populum sibi vicinum & forsan latrociniis per deserta Mesopotamiæ dedi-

tum

tum ab ſuis finibus amovendi, & in Babylonia Arabibus latronibus opponendi. Verum obſtare videtur unum, quod, quum Ninum Ego quoque poſteriorem Moſe cenſeam, & ad Judicum Hebræorum tempora referam, *Chaldæi* tamen, tanquam Vicini, in Jobo *cap.* 1. jam nominentur; Jobus autem vixerit ex plerorumque ſententia Moſis tempore, vel jam ante eum. Aſt hæc difficultas expediri facile poteſt, quum omnium fere conſenſu Scriptor iſtius Libri Hebraici longe ſerius vixerit, id quod ex ipſis etiam locutionibus ſatis probavit Eruditiſſ. Spanhemius in *Hiſt. Jobi cap.* 16. Ille ergo Homines iſtius Terræ, unde venerunt prædones, qui in Camelos Jobi irruerunt, appellavit eo nomine, quo dicebantur ſuo jam tempore, & quo tunc a Lectoribus rectius poterant cognoſci. Sic Arabes quoque, ut obſervavit idem Spanhemius, vocantur iſtic *Orientales*, non reſpectu Jobi, aut Terræ, in qua is habitavit, ſed reſpectu Palæſtinæ, in qua ille Scriptor egit. Stephanus Chaldæos antea dictos Κηφῆνας ait a Cepheo Perſei ſocero. Non equidem id verum credo, ſed hoc tamen accipio, quod ergo etiam ex illorum, quos ipſe iſtic ſequitur, ſententia, Chaldæi, vel certe Homines iſtius Nominis,

ab

ab ipſo initio in Babylonica Terra non exſtiterint, ſed quod ſerius hoc Nomen iſtic cœperit, quum prius illa Terra alium, vel ſaltem alterius nominis, habuiſſet Populum. Nam quod Pinedo ibi ait, *Nugas has eſſe Græcorum; Chaldæos ſemper Chaldæos fuiſſe*, inane eſt. Etſi enim Chaldæi, ex quo exſtitere, ſemper fuerint *Chaldæi*, non inde ſequitur, Homines Terræ Babylonicæ ſemper fuiſſe *Chaldæos*, aut Chaldæos non habitaſſe prius alibi. Satis autem paulo ante oſtendimus, Ur primum & proprium Chaldæorum oppidum fuiſſe in Meſopotamia. Inde vero nonnulli ſeceſſiſſe videntur verſus Septentrionem ad Pontum Euxinum, ubi itidem *Chaldæi* vel *Chaldii* exſtitere. Vide Strabonem & Stephanum: at Alii verſus Auſtrum in Babyloniam ab Aſſyriis traducti. Ceterum Chaldæi, ſi jam ex Meſopotamia in Babyloniam devenere, recte ab Eſaia *d. l.* ציים dicuntur, h. e, ex deſertis venientes, *deſerti accolæ*, ut hoc vocabulum iſtic exponit Kimchius. Nam Meſopotamia media ſupra Babyloniam erat plane *ſicca & ſterilis*, quam dein *tenuerunt Arabes Scenitæ*, homines *paſtores*, & ληϛρικοὶ, *latrociniis dediti, qui facile in alias terras migrabant, quando eos deficiebat præda & paſcuum*; ut deſcribit eam Meſopota-

miæ

miæ partem Strabo *lib.* XVI. *pag.* 747. His jam præmiſſis, videamus nunc denuo verba Eſaiæ, & inveſtigemus ſenſum, qui ex hisce exoritur: *Ecce Terra Chaldæorum* (*Hic Populus non fuit* iſtic ab initio, ſeu *non fuit* olim ejus Terræ populus: *Aſſur*, ſeu Gens & Rex Aſſyriorum *ſtabilivit eam*, ſeu firmam & *ſtabilem ejus poſſeſſionem dedit* Chaldæis *ex deſertis* Meſopotamiæ *venientibus*, in quæ ſe ex Ure olim videntur effudiſſe, ſicuti poſtea Scenitæ ex Arabia. Hi autem Chaldæi צִיִּים in Babylonia collocati, *exſtruxerunt* dein iſtic *Turres ejus*, *excitarunt palatia ejus*, atque adeo viribus & opibus invaleſcentes reddiderunt ſuas iſtic Urbes munitas valde & magnificas) Hæc ergo Terra *redegit eam* Tyrum *in* exitium & *ruinam*, quæ certe Tyriis obtigit revera a Chaldæis & Babyloniis, ut oſtendimus ſupra. Nihil autem in hac interpretatione hiulcum, nihil implicitæ aut duræ conſtructionis, nihil ab uſitato verborum ſenſu ad res alias contortum, ut adeo eam omnibus aliis, etiam a me ſupra allatis, ipſe ego jam præferam.

CAP. VII.

Dicæarchi apud Stephanum Byz. ſententia de Babylonis origine examinatur. Babylon non eſt condita ab Semiramide, ſed forſan ornata, vel ampliata. Condita eſt potius, ſecundum pleroſque & fide digniores Scriptores, a Belo antiquiſſimo ſeu Babylonio. Herennius Philo apud Stephanum exponitur. Belus ille Babylonis conditor eſt ipſe Nimrodus. Hiſtoria Babylonis conditæ apud Alexandrum Polyhiſtorem pene prorſus congruit cum Hiſtoria Sacra.

QUOD ſi Vir Doctiſſimus omnino volebat Originem Babelis dejectam ad ſerius tempus, potuiſſet ac debuiſſet adferre, quod Stephanus in voce Χαλδαῖος ex Dicæarcho tradit, *conditam* ſcilicet *clariſſimam Urbem Babylona juxta Euphraten a Chaldæo* quodam, ita appellato, *qui fuerit* XIV. *Rex a Nino, Nineves conditore*, & *omnes, qui Chaldæi appellabantur, in unum illum*

illum locum deduxerit. Possent hæc videri magis congrua Marshami sententiæ, siquidem ille Nini ætatem, seu Assyriacæ Monarchiæ initia, ad Trojana refert tempora, secutus Herodotum & Porphyrium potius, quam Ctesiam. Jam autem Babylonis origo in his Stephani vel Dicæarchi verbis statuitur multo recentior Nino, quippe conditæ a Rege quarto decimo post Ninum; dein referri ea videtur insuper ad aliquem ex ipsis Regibus Assyriæ & successoribus Nini, & talem quidem, qui appellatus fuerit *Chaldæus*, urbemque hanc Chaldæis proprie attribuerit. Ea autem omnia convenire aliquo modo possent in Nabonassàrum, quem Marshamus *Assyrium* dicit, atque idcirco de eo accipit, quod Esaias ait: *Assur fundavit Populum*, vel *Terram*, *Chaldæorum.* Deinde Astrologi, qui fuerunt *Chaldæi*, & ita maxime appellabantur, Epocham suam a Nabonassaro, quasi suæ saltem artis conditore, demum incipiunt. Denique ætas quarti decimi Regis a Nino multum discrepare nequit ab ætate Nabonassari, siquidem Ninus vixerit circa Trojana tempora, ut vult Marshamus. Nam ita & quartus decimus Rex post Æneam fuit Amulius, vel Numitor avus Romuli, quorum tempore condita est Roma, &

incipit, licet ſeptimo anno poſt, etiam Epocha Nabonaſſarea. Sed tamen neque Nabonaſſar Aſſyriæ fuit Rex, aut inter ſucceſſores Nini unquam eſt numeratus: & præterea falſa ſunt pleraque, quæ iſtic ex Dicæarcho traduntur. Nam Chaldæi appellati ſunt a Cheſed Nachoris Filio, ut ſupra diximus, & longe antiquior fuit Babylon, quam ut a quartodecimo Rege poſt Ninum condita demum fuerit, quippe quæ fuit, ſecundum Moſem, *principium Regni Nimrodei*, & prima Urbs iſtius Regionis, ex qua reliquæ terræ ſuos acceperunt incolas; at ſecundum Profanos, & Orientales quidem, condita a Belo, qui longe fuit antiquior ipſo Nino, vel ſecundum Græcos, a Semiramide Nini uxore.

Ita enim Herodotus, Cteſias, &, qui eos ſequuntur, Diodorus, Strabo, Mela, Aliique quamplurimi, a Semiramide volunt exſtructam primum Babylona. Sed & hoc vanum eſſe & falſum, conſenſus Auctorum, qui Chaldaicas & Phœnicias res tradiderunt, evincit. Certe Beroſus, Chaldæus ipſe, diſerte *reprehendit*, ut antea [a] retulimus, *Græcos Scriptores, quod crediderint Babylonem a Semiramide Aſſyria conditam*. Hic ergo, & Megaſthenes, mul-

a Pag. 69.

multique Græcorum eos ſecuti, ad Belum potius Urbis originem retulerunt. Vide Excerpta Euſebii ex Variis Auctoribus de Babylone a Gigantibus & Belo condita, *Præpar. Euang.* IX. 14. 15. 17. 18. & 41. Hinc Curtius V. 1. *Semiramis eam condiderat, vel, ut* PLERIQUE *credidere, Belus, cujus Regia oſtenditur.* Herennius Philo Byblienſis, qui Sanchuniathonem in Græcam linguam tranſtulit, apud Stephanum in v. Βαϐυλὼν, tradidit, eſſe eam *opus Babylonis, Viri ſapientis, qui filius fuerit ſapientiſſimi Medi*, vel potius, *Beli*, ut cenſent Eruditi, *non vero, ſicut Herodotus, a Semiramide conditam: Ea enim antiquiorem eſſe* Urbem Babylona, *duobus annorum millibus.* Euſtathius ad Dionyſii *periegeſin* v. 1005. eadem refert, niſi quod Urbem Semiramide antiquiorem dicat *mille & octingentis annis.* Quod ad *Babylonem Beli filium*, a quo Urbs dicitur condita, crediderim, ſi quid veri hæc traditio habet, Belum potius nominaſſe filium ſibi natum ab Urbe, quæ *Babel*, vel Græca pronunciatione *Babylon*, dicebatur; quod & Gerh. Joh. Voſſius de *Idolol.* I. 24. ſuſpicatur. Et ſane ita *Ninus* quoque, aut ſaltem *Ninyas*, nomen ſuum accepiſſe videntur ab Urbe *Nino* vel *Ninive*, quæ dudum ab Aſſure fuerat jam condita; vel

certe initia sua acceperat, incertum an & Nomen, quod serioris possit videri originis, ut alia quædam oppidorum in Mosaicis nomina, & ita ab ipso demum Nino ortum, qui & Filio dein Urbis suæ Nomen dederit. Originem autem Babylonis ita videmus ab iis quoque statui longe antiquiorem Semiramide. Reprehenditur quidem hoc nomine Philo a Doctiss. Bocharto *Phal.* IV. 14. sed qui ipse decipitur communi nuper errore existimantium, Ninum Semiramidis Maritum fuisse Nimrodi, seu Beli Babylonici, Filium. Vossius *d. l.* eodem errore inductus, Semiramin hanc, quæ Babylonem dicitur condidisse vel ornasse, putat idcirco non fuisse Nini Uxorem, sed aliam incerti ac serioris longe temporis feminam; quippe quæ secundum Philonem Byblienscm vixerit minimum mille annis post Belum, quem ipse quoque Nini fuisse Patrem sibi persuadet. Verum hoc falsissimum esse supra [a] jam indicavimus, & pluribus probabimus in *Assyriacis*. Nonnulli veterum Belum & Semiramin conjungunt, non tanquam eodem tempore vixerint, & pariter condiderint Urbem, sed tanquam diversis temporibus ad Urbis Originem & Ornatum aliquid contulerint. Sic certe Amm.

[a] *Pag.* 76.

Amm. Marcell. *lib.* XXIII. *cap.* 6. *Babylon, cujus mœnia bitumine Semiramis ſtruxit: Arcem enim antiquiſſimus Rex condidit Belus.* Nimirum qui Urbes olim primitus condebant, nihil ferme aliud exſtruebant, quam Arcem, circa quam ædes ſuas ſtatuerent cives, & in quam, ſi vis hoſtilis eos urgeret, refugerent. Sic Dido *Byrſam* (quod eſt בצרה *munitio*) Arcem Carthaginis, tantum condidit, Cadmus Cadmeam Thebis, Romulus Capitolium. Sed & ita Arx Athenarum longe antiquior fuit ipſa Urbe & ejus munitione. Qui autem has arces exſtruxerunt, dederunt tamen Urbibus ſuam originem, easque ideo recte etiam condidiſſe dicuntur. Cum Ammiano conſentire videtur Oroſius [a], qui ait *multos prodere*, Urbem *a Nimrodo gigante*, h. e. Belo, *fundatam, a Nino vel Semiramide reparatam.* Crediderim ego, aliquid ſane ad Urbis ornatum contuliſſe Semiramin, & verum eſſe, quod ait Herodotus *lib.* I. c. 184. *multos fuiſſe Babylonis Reges, qui ejus Muros & Templa ornaverint, inque iis duas Reginas, Semiramin & Nitocrin, quarum illa aggeres fecerit viſu dignos, quibus coerceretur fluvius, antea exundare ſolitus.* Urbis tamen primam originem longe fuiſſe Semiramide vetuſtio-

 rem

a *Lib.* II. *Cap.* 6.

rem censeo, idque etiam ex eo colligendum, quod refert Valer. Max. IX. 3. *Babylonem defecisse a Semirami Assyriorum Regina, & ab ea ad illam expugnandam, altera parte crinium soluta, currente, in potestatem* denuo *redactam.* Neutiquam enim verosimile, Urbem a Semiramide ipsa conditam, vel cives in eam Urbem recens a se conditam locatos, ab illa ipsa statim defecisse.

Nempe conditor Babylonis fuit haud dubie, ut volunt *plerique*, Belus antiquissimus, cujus *Regia*, *Arx*, *Templum*, *Sepulchrum*, præcipua religione istic culta, diu etiam post ostendebantur, ut ex Strabone, Curtio, Æliano, Dionysio Perieg. est notissimum. Neque tamen Belus ille fuit *Tyrius*, ut quidem apud Julium Firmicum scribit Dorotheus, Sidonius Poëta, cujus verba jam supra pag. 75. exhibuimus. Etenim Babylon longe antiquior fuit ipsa Palætyro, & antiquissimus ille Belus Babylonius diversus fuit a Tyrio, eoque itidem prior. Neque vero fuit *Ægyptius*, quippe qui etiam longe recentior fuit Babylone, ut supra [a] jam ostendimus, & vixit demum circa tempora Danai & Cadmi, quorum pater & patruus fuisse traditur. Nec denique *Assy-*

[a] *Pag.* 72.

ſyrius, qui pater fuiſſe Nini dicitur, & idcirco longe itidem diverſus a Babylonio, qui cum Semiramide Nini Uxore comparatus, *antiquiſſimus Rex* præ ea vere appellatur. Quid ergo? Fuit hic Belus proprie *Babylonius*, ille *Antiquiſſimus Rex*, quem ideo & Ælianus XIII. 3. emphatice dicit τὸν Βῆλον τὸν ἀρχαῖον, *Belum illum Antiquum*. Ille vero etiam a Nebucadnezare idcirco apud Euſeb. *Præpar. Euang.* IX. 41. memoratur ſimul tanquam *Deus* & *Progenitor* ipſius, cum Regina *Belti*; quæ vox ex Feminino Syriaco vel Phœnicio τοῦ *Beel* eſt formata. Verba ſunt ὅ τε Βῆλος ὁ ἐμὸς Πρόγονος, ἥ τε Βασίλεια Βῆλτις. Sed & præcipua fuit iſtic cærimonia cultus. Vide Jerem. LI. 44. Dan. IV. 8. & diſertius apud Arrian. *de Exped. Alex. lib.* 3. [a] ὃν μάλιστα θεῶν τιμῶσι Βαβυλώνιοι. Adde & *lib.* VII. *p. m.* 480 [b]. Scilicet ita ſolebant primi urbium conditores a poſteris affici divinis honoribus. Hunc autem eſſe eundem, qui *Nimrodus* in Sacris appellatur, quique primus *regnaſſe in terra Sinear* & *Babele* dicitur, nulli dubitamus, cum quod gentes ſolitæ fuerint progenitores ſuos, ut modo [c] diximus, Diis ad-

K 5 ſci-

a *Pag.* 196. *Edit. Blanc. Cap.* 16.
b *Ejusd. Edit. Cap.* 17.
c *Pag.* 73.

ſciſcere, & in Oriente quidem *Beli* nomine inſignire: tum quod Belus ille *Babylonis conditor* fuiſſe dicitur a profanis & maxime fide dignis Scriptoribus; Nimrodus vero a Moſe: ille autem Belus, cum Semiramide comparatus, *antiquiſſimus* fuiſſe perhibetur, ſicuti revera fuit Nimrodus. Denique manifeſte eadem magna ex parte de Belo hoc retulit Alexander Polyh. ex Scriptis Ἀδεσπότοις apud Euſeb. *Præpar. Euang.* IX. 18. quæ Sacra Scriptura de Nimrodo. Nam ait, *Gigantes, cum Babyloniam incolerent, a Diis propter impietatem exſtinctos fuiſſe, quorum unum Belum exitio ſubductum Babylone habitaſſe, TURRIMQUE exſtruxiſſe, & in ea vitam egiſſe, eamque a Belo, qui eam exſtruxerat, Belum nominatam.* Vides manifeſte, *Turrim* in S. Scriptura memoratam, & ab hominibus, quorum dux erat Nimrodus, erigi cœptam, tribui *Belo.* Vides etiam, Belum hunc referri inter Gigantes, qui Babyloniam inhabitaverint & propter impietatem divinitus ſint exſtincti, plane ſicuti Nimrodus in S. Scriptura a LXX. Interpretibus *Gigas* fuiſſe dicitur, & rebellionis, unde nomen traxit, Auctor fuit, & Dux eorum, qui contra Dei Opt. Max. voluntatem turrim iſtam illic exſtruxerunt, & ideo non quidem exſtincti,
sed

ſed ex eo loco per orbem terrarum diſperſi fuerunt. Ita vero habemus ex Profanis Scriptoribus ſententiam de Babylonis origine & conditore, per ſe longe ceteris veriſimiliorem, & S. Scripturæ pulchre conſentientem; quæ Scriptura inſuper veram occaſionem rationemque conditæ, ſive Urbis, ſive Arcis & Turris, ſed multis difficultatibus implicitam, Geneſeos *cap.* XI. ubertim exſequitur; qua de re agendum deinceps.

CAP. VIII.

Locus Geneſ. XI. I---- 9. *exponitur, quo Seceſſionis primorum Hominum Hiſtoria traditur. Fuerunt omnes omnino Homines, qui tunc exſtabant, pariter in terra Sinear habitantes in unius Gentis aut Populi ſpeciem.* Omnis Terra *deſignat omnes omnino Homines. Male ex illa* Omni Terra *Habitantium & Urbem exſtruentium in Sinear excluduntur Semus, & Heberus, cum Noacho, licet hi forſan diſſenſerint. Vonder Hartii ſententia de Bello*

Bello Chamitarum contra Semitas rejicitur. Filii Hominis *hic notat omnes Homines. Posteritas Semi & Heberi, etiam ipsi Majores Abrahami, fuerunt idololatræ. Lingua Hebræa incertissimum est an fuerit eadem prorsus, quæ Noachi. Mutatio Linguæ & Dispersio ex terra Sinear non Omnibus, nec Solis, Impiis obtigit, sed etiam Semitis.* Nimrodus *a Rebellione fuit ita dictus. Nomina Hominibus data ex Facto quodam sæpe prævaluerunt præ iis Nominibus, quæ recens nati acceperant a Parentibus. Nimrodus non modo interfuit ædificandæ Turri, sed & ejus operis præcipuus fuit Auctor, & tamen Unus cum suis retinuit terram Sinear. Nulla alia neque Familia, neque Populus exstitit, qui non, si non utramque, certe alterutram pœnam, quam vulgo statuunt Interpretes, ædificantium subierit.*

PRIMA Urbis Babylonicæ, haud dubie omnium antiquiſſimæ, initia, & ipſam condendæ ejus occaſionem, refert Moſes Gen. XI. 1. . . . 9. verbis ſane quidem paucis, ſed de quibus, non modo Philo jam olim integrum ſcripſit libellum, ut ſcrupulos τȣ̃ ἀπιθάνȣ, quod in eorum genuino & Hiſtorico ſenſu ineſſe credebat, allegoricis & figuratis interpretationibus evaderet & ipſe, & eximeret aliis; verum etiam hodie in quam plurima ſententiarum abeunt divortia Viri Eruditiſſimi, dum quærunt Conſilium, quod ſibi propoſuerint, & Peccatum, quod admiſerint, primi Babylonis Conditores. Operæ itaque pretium facturi videmur, ſi ipſa illa verba in principio exhibeamus, quibus hanc Hiſtoriam Moſes memoriæ prodidit.

1. *Erat autem omnis Terra*, ait, *Labii unius & verborum eorundem.*
2. *Et accidit, quum migrarent illi ex Oriente, ut invenirent campum in Terra Sinear, & habitarent iſtic.*
3. *Tunc dixerunt quisque proximo ſuo; age, formemus lateres, & aduramus eos aduſtione*, h. e. induremus igne. *Ita erant ipſis Lateres pro Lapidibus vivis, & bitumen pro luto.*
4. *Et dixerunt porro; Age, ædificemus*

no-

nobis Urbem, & Turrim, cujus cacumen aſcendat in cœlos, & faciamus nobis Nomen, ne diſpergamur ſuper faciem totius Terræ.

5. *Et deſcendit Deus, ut videret Urbem & Turrim, quam ædificabant Filii Hominum.*

6. *Et dixit Deus: Ecce Populus Unus & Labium unum ſunt illi omnes; & hoc eſt, quod illi occipiunt id facere: Jam vero annon prohibebitur iis omne id, quod facere decrerunt?*

7. *Age, deſcendamus & confundamus iſtic Labium eorum, ut non exaudiant*, vel *intelligant, ſinguli labium proximi ſui.*

8. *Et diſperſit eos Deus ex illo loco ſuper Faciem totius Terræ, & deſierunt ædificare Urbem.*

9 *Idcirco vocatum eſt Nomen ejus BABEL, quia iſtic confudit Deus Labium Totius Terræ, & inde diſperſit eos Deus ſuper faciem Totius Terræ.*

Videmus ex hisce, Primos homines poſt Diluvium, quum deſcendiſſent ex montibus Ararat *verſus Orientem*, inde moviſſe in *terram Sinear*, atque ibi conjunctos etiamdum *unius* & *Sermonis* & *Sedis* vinculo in *unius Populi* & Gentis Societatem, pariter aliquandiu *habitaſſe*, cum quia placebat potiſſimum hæc Campeſtris re-

regio, quædam quaſi *Campania*, tum quia nolebant ab ſe invicem ſeparari ac diſpergi. Ea propter iniiſſe conſilium figendi iſtic ſtabilem ſibi ſedem, & excitandi *Urbem ac Turrim*, *ne* fortuitis caſibus aberrarent in ſpatium vel *ſuperficiem reliquæ terræ*, & ſic *diſpergerentur*. Sed quia Deo O. M. aliter fuit viſum, Eum ad impediendum Hoc illorum conſilium, & cœptum jam Urbis & Turris exſtruendæ opus, immiſiſſe illis *Confuſionem Sermonis*, per quam tunc *ex illo Loco diſperſi ſunt in reliquam terram*, & ex una Gente diſtracti in Varios Familiarum Populos, id quod Deus unice volebat, & ſic denique in varias etiam Sermonis dialectos; ceterum ab illa *Confuſione* Locum hunc vel Urbem appellatam eſſe dein *Babelem*. Ita vero habemus heic clariſſimum in modum relata prima Babelis initia, quæ deinde per Nimrodum, cujus *Regni Caput* præ aliis Urbibus Gen. x. memoratis, erat *Babel*, qualitercumque, pro ratione ſcilicet & more illius Temporis, conſummata, certe non plane derelicta fuere; quippe quum jam in Hiſtoria Abrahami, h. e. exiguo tempore poſt, *Rex Sinear* quoque memoretur, qui fuit Rex *Babelis*, & ſine dubio Succeſſor, licet non proximus, Nimrodi.

Mo-

Moſes autem hac Hiſtoriæ Sacræ lacinia non tam id egit, ut exponeret Babelis originem, quam ut traderet rationem & cauſam, per quam Noachidæ, quum fuiſſent antea, ut neceſſum erat, conjuncti lingua, habitatione, & unius Populi forma, ſeparati ab ſe invicem & diſperſi in diverſa terrarum abierint, atque ita evaſerint dein etiam Lingua & Societatis jure discreti; idque quoniam in proxime ſuperioribus memoraverat jam ordine & nominatim *Familias Poſterorum Noachi*, æque Semitarum ac Chamitarum, *ex quibus ſeparatæ fuerint Gentes*, h. e. diverſi exſtiterint Populi, *per Terram poſt diluvium*. Verum hæc ipſa lacinia, quæ ceteroqui ſic ſatis liquida videtur, absque una & altera foret difficultate, de quibus ex profeſſo agemus, variis tamen interpretationibus, in contraria ſæpe diſcedentibus, & complures rei geſtæ circumſtantias, quas Scriptura S. ignorat, nec deſiderat, ſed reſpuit, comminiscentibus, non parum inſuper obſcuratur. Nos itaque, ut totam rem ordine excutiamus, &, quantum poteſt, expediamus, inveſtigabimus Primo, de quibus hic agatur, utrum de toto Hominum, qui tunc exſtabant, Cœtu, an de quadam eorum jam ab ſe invicem ſeparatorum Parte: Dein, utrum

utrum Res ipſa, quæ narratur, Hiſtorice, Proprie, & Simpliciter primitus ſit explicanda, an vero ipſæ locutiones & vocabula ſtatim Allegorico & Typico ſint ſenſu accipienda: Tum, quid Conſilii Homines ceperint, & quid, quo animo, qua cauſa, ſint aggreſſi: Poſtea, qua ratione, modo, eventu, Deus conſilia eorum & cœpta inhibuerit ac impedierit: Denique, quo tandem tempore, utrum in ipſis natalibus Phalegi, an provecta jam ejus ætate, omnia hæc evenerint.

Primum illud, utrum videlicet de *Omnibus* Terræ incolis Moſes loquatur, an vero de *Quibusdam*; ſeu, an omnes omnino, quiqui in hoc Univerſo erant, in Terram Sinear venerint, & adfuerint, quum dein Urbs & Turris ibi exſtrueretur, nec ne; id vero in controverſiam vocari quo colore potuerit, vix video, quum tam diſerte S. Scriptura heic memoret כל הארץ *Omnem Terram*, eaque phraſi omnes Homines, qui *Terram*, de qua agitur, ſive Univerſam, ut heic, ſive peculiarem, ut ſæpe alibi, incolunt, denotare ſoleat. Adeo certum hoc eſt, ut idcirco id, quod omnium primum hic dicitur de *omni Terra*, fuiſſe eam *unius Labii & Sermonis*, Interpretum pene cunctorum, immo cunctorum, quos vidi,

 abs-

absque uno esset Hartio, consensu, de omnibus omnino Hominibus, qui ante hanc dispersionem vel unica fuerint usi Dialecto, vel idem senserint, accipiatur dictum. Quæ igitur ratio est, sequentia, quæ item de *Omni Terra* sine ullo discrimine prædicantur, restringere ad *Quosdam*, & proprie ad *Chamitas*, quum S. Scriptura continuo subtexat, *Et accidit, quum migrarent illi ex Oriente, ut invenirent &c.* Qui, obsecro, sunt istic ita δεικτικῶς *Illi*, nisi qui in proxime superioribus jam fuerant designati, & quidem per *Omnem Terram*, quam ipsi utique Interpretes illic, ut dixi, interpretantur *omnes Totius Terræ Homines?* Sed quid in his hæreo, quum ipsæ illæ primi paragraphi phrases quoque in sequentibus disertissime de iis Hominibus, qui Urbem & Terram exstruere cœperunt, repetantur? Nam sic non modo §. 6. dicuntur itidem omnes illi ædificantes esse *unum Labium*, sed & §. 9. ædificantium Historia concluditur ea ipsa phrasi, qua §. 1. cœperat, nempe quod Deus *istic* loci *confuderit Labium OMNIS TERRÆ.* Quid expressius haberi potest, ut constet ædificantes istos fuisse illam *OMNEM TERRAM*, seu Omnes totius Terræ incolas, qui in §. 1. illa locutione designati, dicuntur fuisse *Unum*

Unum Labium vel *Unius Labii?* Adde jam, propositum id Mosi, ut doceat causam & rationem, per quam genus Humanum ab uno Noacho ortum, cum hoc ipso suo Progenitore in unius adhuc Familiæ, Populi, & Loci multitudinem conjunctum, ab se invicem in varias oras & Gentes primum discesserit, vel distractum fuerit: Quod breviter eadem hac phrasi *Cap.* IX. §. 19. jam præmiserat, *Hi sunt Tres Filii Noachi, & ex illis dispersa est*, vel *diffudit se, OMNIS TERRA*, h. e. orti sunt Omnes diversi & separati ab se invicem totius Terræ incolæ: Utrobique, hic per occasionem & obiter, at istic ex professo, memoratur Eadem *omnis Terræ* dispersio. Necessum itaque, necdum ullam antea factam jam secessionem: tum, in hac causa antiquissimæ seu omnium primæ dispersionis conjunctos etiamdum & præsentes fuisse omnes Noachi posteros: denique, in Terram Sinear ergo venisse, & ibi habitasse, quo tempore Urbs & Turris istic ædificari cœpta, omnes totius Terræ Homines: quod, licet putem certissimum, in hac tamen controversia vere est totius rei Caput. Nam an in hanc ædificationem *consenserint* & *manus admoverint Omnes* sine ulla prorsus exceptione, etiam Noachus & Semus; id enimvero neutiquam

 affir-

affirmaverim, neque affirmari opus eſt, quum recte ab omni populo communiter factum dicatur, a quo tamen unus & alter ex populo forſan diſſenſerit aut abhorruerit.

Mihi itaque res adhuc eſt cum illis, qui negant, quod modo tam clare probatum ivi & dedi, *Omnes omnino Homines in terra Sinear conjunctim ad inſtar unius populi habitaſſe*; & porro ab illa habitatione, ædificatione, ac diſperſione excludunt poſteritatem omnem, vel aliquot ſaltem Familias, Semi, ut faciunt plerique, alii acrius & confidentius, alii parcius & modeſtius. *Communis ſententia tenet*, ait Clariſſ. Vir, Chriſt. Schotanus, in *Hiſt. Sacræ Ætate Secunda*, *pag.* 48. *omne genus Hominum, præter Domum Sem, coactum in unum, Babylona exſtruxiſſe, & Turrim illam.* Mox de ſe *pag.* 49. *Crediderim Ego etiam, Familiam Sem ædificationi non interfuiſſe.* Et, *Arbitror Homines in Orientalibus Regionibus ultra Tigrim conjunctim aliquandiu habitaſſe, inde cepiſſe conſilium ſe diſpergendi per Orbem; ideo ſimul SINE DOMO SEMI ſe recepiſſe verſus Occidentem*, h. e. in Terram Sinear. Diſertius agit & nominatim eximit *pag.* 50. 51. quaſdam Semi Familias, quas manſiſſe cenſet in Oriente, *nec adfuiſſe ſtructuræ*, licet *par-*

partem Semi posterorum, quæ in Mesopotamiam concessit, simul profectam ad ædificandum illud opus, tandem tamen largiatur. Eadem est sententia Marshami in *Chronico Sec.* XVII. *pag.* 478 [a]. *Neque Urbis hujus Conditores habendi sunt Filii Hominum, h. e. Infideles illi, qui post Diluvium ab Oriente profecti consederunt in valle Sinear, & conati sunt ædificare Urbem & Turrim.* Nam & ipse, ut patet, per *Filios Hominum* intelligit solos *Infideles*, eosque solos in Terram Sinear *profectos*, solos ibi *consedisse*, & *ædificare Urbem conatos* autumat. Neque aliter hæc interpretantur, aut sentiunt, ut mox videbimus, complures alii.

Sed longius insuper progrediuntur Georg. Hornius, hujus quondam Academiæ Professor, & Herm. vonder Hartius, qui Linguas Orientales in Academia Julia publice docet. Ille enim ad Sulpicium Severum, qui in *Hist. Eccles. lib:* I. Homines *diversa Loca atque Insulas jam habuisse*, quando adhuc *una tantum omnes lingua utebantur*, deinde vero *se in unum contraxisse & Turrim facere aggressos* tradit, priora ejus amplectens, posteriora repudians, censet, ante hanc ædificationem secutamque ædificantium dispersionem, factam jam fuisse aliam, & quidem *primam*

[a] *Pag.* 508. *Ed. Lips.*

Orbis divisionem, in qua Assyria, Babylonia, Syria, Cananæa jam habitatæ fuerint, atque adeo neque hosce populos *inter Turris Conditores fuisse:* neque causam exstitisse, cur, *qui jam ante diversa Loca & Insulas tenuerant, denuo in unum locum cogerentur:* Sed de his agemus infra ex professo. Hartius vero in *Ephemeridibus philolog. Disc.* 3. non modo secessionem ante hoc tempus jam factam, sed & diuturnum comminiscitur bellum inter Semitas & Chamitas, qui *cum in Oriente copias suas duxissent per varias Regiones non sine prœliis aut excursionibus variis in Semitas, loca quæsiverint Castris & Munitioni apta, duce Nimrodo; invenerintque & occuparint Terram planissimam in Sinear, ibique posuerint castra, & Urbem muris ac turribus celsis munitam exstruxerint.* Verum Ego Hunc sane, Virum ceteroqui Doctissimum, nescio, serione agat, an in re Seria intempestive ludat, & fabulam nobis narret, siquidem Moses diserte & simpliciter, sine ulla exceptione aut distinctione, *Omnem Terram*, h. e. omnes totius Terræ incolas, in hanc Historiam conjungit, nedum ut his illos opponat, aut belligerantes inter se, palam aut tacite usquam significet. Quapropter, & quia non disputat Vir Clarissimus, sed tantum, arbitratu suo, rem ita ge-

geſtam παραφραςικῶς enarrat, nihil habemus aliud, quod ei reponamus, niſi ut omnia ſimpliciter, quemadmodum ab Eo ſine ullis rerum documentis affirmantur, Nos viciſſim negemus, tanquam ab Scripturæ S. verbis alieniſſima. Nam ubi in tota hac Diſperſionis & Babelis Hiſtoriá vel minimum veſtigium Seceſſionis Noachidarum ab ſe invicem jam antea factæ? ubi Belli Chamitarum contra Semitas? ubi Munitionis contra Hoſtes, aut plus quam *Habitationis*, exſtruendæ? Fingit Chamitas *ſervitutis* denunciatione a Noacho facta territos & irritatos, eam omni ope amoliri ſtuduiſſe. Si ita, quæ poteſt tum dari cauſa, quare Moſes non eum *ſervitutis metum* æque, ac Hartius, memoraſſet, potius, quam unum ac ſolum *diſperſionis cavendæ* ſtudium? quare non itidem Chamitas ille vel ſemel nominasſet potius, quam *Omnem Terram*, quæ ita ſimpliciter & abſolute nominata nihilo plus relationis ad Chamitas, nusquam hic memoratos, habet, quam ad reliquos Homines. Narrat porro nobis Odium Chami & Chamitarum in Semum & Japhetum criminis ab ſe commiſſi proditores, & quibus pariter idcirco ex Noachi denunciatione eſſet *ſerviturus*, at dein callide, pene dixerim, certe de induſtria,

 omit-

omittit prorſus in bello ab ſe excogitato Japhetum, nulla ejus rei data vel minima ratione, quum tamen Odium illud & ejus cauſa ad hunc æque ac ad Semum pertineret. Sed ita dein commodius obtrudere nobis poteſt Hoſtes Chamitarum *Inferiores Viribus*, & *Minores Chamitis*, & ideo *interitum* ab His metuentes, quum ceteroqui, ſi in belli ipſius ſocietatem, æque ac in ejus cauſam, ſeu Chamiticum odium & metum, admiſiſſet Japhetitas non minus quam Semitas, alieniſſimum id futurum fuiſſet commentum, quippe quum vel ſic nulla conſtet ratio, quare Semitæ etiam ſoli tanto fuerint Chamitis inferiores. Exponit quoque *Omnem Terram*, quæ fuerit *unius Labii*, de ſolis Chamitis, quia *in Scriptura* hæc phraſis *centies notet certam regionem* & *totam quandam Gentem*. At notat illa tunc ſemper Gentem certæ Habitationis, & cognitæ Regionis. Quæ vero illa terra vel regio, cujus reſpectu Chamitæ ſoli, antequam veniſſent in Terram Sinear, dicerentur *Omnis Terra*, h. e. omnes incolæ unius & certæ terræ? quum ipſe fingat, *eos duxiſſe in Oriente copias ſuas per VARIAS REGIONES*, & *quæſiviſſe* continuo *loca munitioni apta*, quæ invenerint tandem in Terra Sinear, *Munitioni*, ſi cre-

credimus, *aptissima*, licet *planam illam* fuisse *&* *irriguam* *&* *campestrem regionem* agnoscat ipse, in quali tamen regione olim munimenta & arces vix unquam excitabantur, sed semper fere in collibus. Quam vero speciem præ se ferunt hæc verba tam simplicia, *Omnis terra erat unius Labii*, ut inde extorqueas Bellicam *Quorundam* contra Alios conspirationem, si maxime *unum Labium* hic notet consensum? Quid immo aliud ex iis verbis sic acceptis elicias, quam omnem Terram fuisse inter se plane concordem? quod ita absolute dictum nihil mali aut vitii continet. Sed tempus perdere me arbitror, quod hisce refutandis impendo, quæ serio & bona fide nobis inculcata, persuadere mihi non possum.

Reliquorum πρῶτον ψεῦδος est, quod præjudicatum habeant sumantque, ac si Homines *exstruenda illa urbe ac Turri*, *&* *faciendo sibi Nomine*, rem per se malam & improbam fuerint aggressi, graviterque eo ipso peccaverint. Inde enim factum, ut pro Peccati istius pœna acceperint secutam *Dispersionem*, licet Hujus mox fere obliviscantur, & *Linguæ Mutationem*: atque ideo non modo Noachum, Semum, & quiqui fuerunt vere Pii, sed & omnes eos, qui Linguam pristinam

post dispersionem retinuisse creduntur, licet dispersi ex terra Sinear æque ac reliqui, operis tamen istius & peccati expertes censuerint, idque ipsum peccatum arripuerint dein in reliquæ rei probandæ documentum, æque ac illud, quod Moses istos ædificantes non tantum *omnem Terram*, sed semel etiam, nempe §. 5. בני האדם *Filios Adami*, vel *Hominis*, vocat. Hoc enim jam Augustinus *de Civitate Dei*, XVI. 5. interpretatur in hac Historia, *non Filios Dei, sed illam Societatem viventium secundum Hominem, quam Terrenam dicimus Civitatem.* Disertius illustris Bochartus, *Phal.* I. 10. *Sic insinuat Moses, solos Filios Hominum, id est, solos Infideles, isti operi se mancipasse: Unde factum, ut ii omnes, qui Fœderis erant participes, id est, Abrahami proavi usque ad Noam, a pœna fuerint immunes.* Sequuntur eum Alii, & hac utuntur omnes ratione, quod Genes. VI. 2. *Filii Hominum* opponantur *Filiis Dei*. At vero nulla prorsus hic loci deprehenditur oppositio, & ubi ea non reperitur, istic equidem phrasis illa indubie notat omne Hominum genus. Sic Deuteron. XXXII. 8. *Quum in hereditatem mitteret Excelsus Gentes, quum separaret Filios Hominum.* Et Eccles. III. 19. *Nam Exitus Filiorum Hominum est, ut exi-*

exitus Bruti, *unus utrisque est exitus.* Imitati sunt hanc locutionem istoc sensu etiam Scriptores Novi Fœderis. Idcirco Marcus III. 28. ὅτι πάντα ἀφεθήσεται τὰ ἁμαρτήματα τοῖς Τέκνοις τῶν Ἀνθρώπων: at Matthæus [a] eandem rem tradens, pro eo simpliciter dicit τοῖς Ἀνθρώποις. Similiter Paulus *Eph.* III. 5. ὃ ἐν ἑτέραις γενεαῖς ὐκ ἐγνωρίσθη τοῖς Υἱοῖς τῶν Ἀνθρώπων, ὡς νῦν ἀπεκαλύφθη τοῖς ἁγίοις ἀποςόλοις αὐτῦ: *quod in aliis sæculis non ita innotuit filiis Hominum* (h. e. simpliciter Hominibus, æque electo Dei populo, ac aliis) *uti nunc revelatum est sanctis ejus Apostolis.* Idem ergo hæc phrasis in loco, in quo explicando versamur, notat, tanto certius, quia hi *Filii Hominum* bis ibidem designantur appellatione *Omnis Terræ*, quæ apertissime traditur in Regione Sinear & ipso opere fuisse conjuncta, & cujus totius Labium istic Deus confudisse dicitur.

Sed negat Buxtorfius, in *Dissertationibus Philol. Theolog. p. 70. probabile*, *Noachum*, *Semum*, *Japhetum*, *aliosque pios Patres in tam insanum & impium opus consensuros fuisse*, *vel operam suam illi locaturos*, *aut certe*, *si illi ADFUERINT*, *tum illud omnibus modis dissuasisse & impedire conatos fuisse*, *ut ne sic quidem inter auctores censeri* pos-

a XII. 31.

poſſint, aut debeant. Acrius idem urget Vir Eruditiſſimus, Steph. Morinus in noviſſimis *Exercit. de Linguis cap. 8. p. 47. Absque atroci injuria*, inquit, *Semus aut Eber non poſſunt nefariorum horum conſiliorum participes haberi, præſertim quum ne minima quidem fiat eorum mentio in conjurationis Hiſtoria, potuerintque in oppido ab ipſis condito ad radices Ararat poſt diluvium aliquandiu permanere, dum liberi longe lateque diſperſi vicinas regiones occupare ſatagebant. Hujus oppidi meminit Elmacinus.* Et mox, *Eberum cunctis Regionis SUÆ incolis declaraviſſe, ut a nefaria conjuratorum ſocietate ſibi caverent.* Dico Ego iterum, *Adfuiſſe* haud dubie, licet nulla eorum nominatim fiat mentio, ſed neque Chamitarum fit, aut ipſius Nimrodi; comprehenduntur enim omnes generali illa, nec ſane minima, *totius Terræ*, mentione. Certe nullam in ſeparata *oppida* & *Regiones*, ac *Regionum incolas* diſperſionem ſeceſſionemve jam factam patitur tota Moſaicæ narrationis ratio. Utrum vero *conſenſerint*, ac *participes* fuerint, nec ne, alia eſt quæſtio, quam quia S. Scriptura nullo prorſus modo definit aut decidit, neque nos aſſeveranter decidere par eſt. Præſertim quum opus illud, ſimpliciter & per ſe ſeorſim conſideratum, fuerit plane ἀδιάφορον, ut in-

infra oſtendemus, certe non tam *impium* & *nefarium*, ut *absque atroci injuria* Semi, Japheti, Eberi aſſenſus in illud ſtatui minime poſſit. Quid vero? Si maxime in Turri exſtruenda fuit peccatum, ut fuit haud dubie, eo quod Homines non auſcultarunt Noacho, an non potuerunt illi quoque nimio quodam ſolitudinis metu fuiſſe iſtius culpæ participes? an nunquam ulla vel minima in re peccaverunt illi? nunquam Abrahamus, Moſes, David?

Sed tamen, quoniam haud dubie illud opus contra voluntatem Dei fuit ſuſceptum, & eam cognitam habuiſſe ſaltem Noachum, veriſimile eſt, crediderim lubens & Ego, eum his conſiliis contradixiſſe, &, quantum in ſe, obſtitiſſe, ſed fruſtra, quum humanæ rationes, de quibus infra, prævalerent apud ceteros. Neque hoc mirari par eſt, quum utique, quod omnino contra illam Doctiſſimorum Hominum rationem notandum, ipſa Semi & Heberi Familia, ipſi majores Abrahami, Vivo etiamdum non tantum Hebero, & Semo, ſed ipſo etiam Noacho, in longe multoque gravius Idololatriæ crimen inciderint, Deoſque alienos coluerint. Diſerte id Joſuas nomine Dei ſignificat Iſraëlitis, XXIV. 2. *Majores eorum*

rum ultra Euphratem habitantes, & ipſum Theram, Patrem Abrahami, coluiſſe Deos alienos; monetque ideo eos §. 14. *ut colant Deum, amoveantque Deos, quos coluerint Majores illorum ultra Euphratem.* Atque hinc eſt, quod Laban quoque diverſos fecit *Deum Abrahami*, ac *Deos Nachoris & Patris*, qui erat Thera, Geneſ. XXXI. 53. Quid? quod in ipſa Semi familia alteri alteros bello jam invaſerint, ſpoliaverint, in ſervitutem abſtraxerint, vivo, ſi non amplius Noacho, certe Semo? Factum id enim nemo, opinor, negabit, qui ætatem Semi contulerit ad ætatem & vitam Abrahami, tot jam *ſervos* habentis, ut iis inſtructus & comitatus, Cedorlaomerum Regem Elamitarum (qui erant Semitæ) cum Sociis, qui pariter invaſerant quinque alios Regulos, & Lothum inter ceteros in ſervitutem abduxerant, ceciderit, & in fugam egerit. Ecquis ergo mirabitur amplius, Noacho non obtemperaviſſe neque Semi aut Heberi familiam in opere, ad inhibendam evitandamque Diſperſionem in ſolitudines, quam tantopere horrebant, ſolum cœpto. Neque iſte diſſenſus Noachi, forte tamen & aliorum, ſed paucorum, impedimento eſt, quo minus recte dicantur opus illud aggreſſi OMNES univerſæ Ter-

Terræ homines, eundem in locum & Populum etiamdum conjuncti; quod unum adhuc in quæstione versatur.

Sed regerunt, *Posteritatem Semi & Heberi peccati illius*, h. e. turris ædificandæ, *participem non fuisse*, idque constare ex eo, quod *immunis fuerit a pœna opus hoc consecuta*, siquidem *Linguam Hebræam inviolatam in Linguarum confusione retinuerunt*. Sic loquitur Buxtorfius *d. l.* Similiter sentiunt & tradiderunt jam olim Chrysostomus *Homilia* XXX. *in Genesin*; nuper Fullerus *Miscellan. Sac.* IV. 4. Schotanus *Bibl. Sec. Æt. pag.* 91. Heideggerus in *Hist. Patriarch. Exerc.* XXI. p. 640. & præter plures alios novissime Steph. Morinus *pag.* 44. & 68. Mira vero mihi sane videtur hæc argumentandi ratio. Nam primo incertissima res est, & adhuc sub judice pendet, an Lingua Hebræa, prout ejus reliquias Sacer Codex nobis servavit, sit plane antiquissima illa, quæ ante dispersionem omnium Hominum communis fuit: idque ita, ut omni ex parte manserit eadem, seu integra, & illibata; quum certum sit, & rerum documentis constet, Hebræam itidem, ut alias, fuisse mutationi per longos temporum tractus, casusque humanos, obnoxiam, & varietates dialectorum per diversa loca expertam,

tam, immo alia atque alia diversis temporibus ad eandem rem significandam adhibuisse vocabula. Jam vero, si vel Hoc certum est, vel Illa saltem illibata integritas demonstrari nequit, tum vana prorsus est omnis ista argumentatio, quum & reliquæ Orientis Linguæ non adeo longe a primitiva recesserint. Deinde falsum utique, Semi, immo & Heberi, *posteritatem* simpliciter & in universum retinuisse aut usurpasse deinceps linguam, quæ Hebræa dicitur, quum ea solius dein Israëlis posteris fuerit propria; Israël autem octavo fuerit gradu ab Hebero, undecimo ab Semo, remotus. Egregium, medius fidius, argumentum: Lingua Hebræa, quæ creditur, non probatur, nec probabitur unquam, fuisse prorsus illa ipsa Adami & Noachi lingua, fuit deinceps propria unicæ *Semitarum* genti, per abnepotis demum abnepotem ab *Hebero* ortæ, non Idumæis, non Ismaëlitis, non Chaldæis, non Cognatis Abrahami, non tot aliis nepotibus vel familiis *Heberi*, nedum tot populis ab *Semo* genitis, qui omnes alias habuerunt linguas; Ergo *Semus* tamen & *Heberus*, eorumque Liberi, statuendi sunt propterea expertes peccati, & pœnæ, quæ exstructionem Turris dicitur consecuta, & constitisse in Lingua-

guarum diverſitate, ex una priſtina in varias novas diſtracta. Si dicent, quod tandem plerique, poſtquam diu disputarunt, & multas conſumſerunt paginas, dicere & fateri coguntur, reliquos etiam Semi & Heberi poſteros aliquandiu poſt diſperſionem priſtinam linguam retinuiſſe, ita ſaltem, ut alter alterum, diverſarum licet eſſent familiarum, intelligere poſſent; ſciendum eſt, eodem modo ſeſe rem habuiſſe inter poſteros Japheti & ipſius Chami, ut ex Scriptura S. conſtat, & agnoſcunt ipſi illi Eruditi, ſtatuentes denique, quod unicum adhuc in his volo, Linguarum varietatem non momento temporis ortam, ſed ſenſim poſt diſperſionem natam, ut ſecundum naturalem rerum humanarum curſum fieri ſolet, & neceſſario debet, fieretque etiam nunc, ſi complures unius Linguæ Homines cum ſuis familiis in perpetuum ab ſe invicem ſecederent in diverſas plane inſulas. Sed de eo nos uberius in ſequentibus, ubi pervenerimus ad exponendam *Labii confuſionem*, quæ Diſperſionem præceſſit. Vide interim Clar. Heideggerum *pag.* 652. 653. & audi ipſum Morinum *pag.* 96. *Quamobrem convenit exiſtimare, eandem fere fuiſſe rationem Linguarum Chananææ, Phœniciæ, Chaldaicæ, Arabicæ, & forſan etiam Ægyptiacæ,*

ptiacæ, in primo mutationis exordio, atque tantam cum Hebræa conſervaſſe ſimilitudinem, ut Ebræi cum gentibus potuerint agere, & utilia habere colloquia. Si ita, quæ ergo ratio eſt, majores Iſraëlitarum, Semum, Heberum, eorumque familias, quæ jam tum exſtabant, magis ſtatuendi immunes a Pœna, quæ ponitur in mutatione priſtini Sermonis, & ideo etiam a Peccato: quam Arabum & Cananæorum majores, Chamum ſcilicet, Canaanem, Cuſchum, & Nimrodum; quum ita omnes Linguæ, poſt immiſſam extraordinariam Labii confuſionem, ſecutamque diſperſionem, ſenſim demum ab una primitiva, eodem modo, ſed aliæ plus, aliæ minus, ſeceſſerint?

Certe ſi qua in hoc argumento vis ineſſet, longe ſpecioſius & validius eo juvaretur Hornius ad Sulpic. Severum *pag.* 21. ubi, quum tradidiſſet factam jam antea *aliam orbis diviſionem*, perque eam jam *habitatas Aſſyriam, Babyloniam, Syriam & Cananæam*, id ait *patere exinde, quia, cum diverſa origine eſſent, ex Semo & Chamo, omnes tamen primitivam Linguam Hebræam retinuerunt. Non ergo inter Turris conditores fuiſſe earum Gentium Majores, ſed illarum Gentium fuiſſe, quarum Linguæ in totum ab Ebræa aliæ ſunt.* Refutat quidem hanc

hanc illius ſententiam Doctiſſ. Schotanus, *pag.* 42. ſed nihil plane adfert, ex quo liqueat diſpar ratio unius ejuſdemque argumenti, quare ſcilicet ex eo concludendum Semi & Heberi familias fuiſſe condendæ turris expertes, non item Chami & Canaanis familias. Nam nihili eſt, quod unum ait, *Etſi Chus, Canaan &c. adfuerint, & occupati fuerint in eadem vanitate, POTUIT Deus in illis Veterem loquendi ritum conſervare, quia in vicinis locis remanſuri eſſent.* Atqui non quæritur, quid Deus *potuerit* vel non potuerit feciſſe, ſed quid ex eo, quod animadvertitur in mutanda vel non mutanda gentibus Lingua revera feciſſe, colligendum ſit de Majoribus earum gentium, utrum inter conditores Turris propterea tantum ſint referendi, nec ne. Nam iniquum profecto, Te eodem argumento uti ad eximendos ei numero, quos velis, eandem vero concluſionem negare aliis, niſi habeas, quam in medium afferre poſſis, rationem liquidam & certam, cur aliis neges, quod tibi largiris. Neque vero pluribus hanc rem exſequitur Cl. Heideggerus, ut illud argumentum, a ſe quoque pro Hebero & Semo adhibitum, extorqueat Hornio, niſi quod addit *pag.* 639. *Non retinuerunt* (Cananæi &c.) *primiti-*

 vam

vam linguam puram & limpidam. Varietas autem Dialecti, & evidens discrepantia à Matre, supplicii loco esse potuit. Sed hæc *varietas* & *discrepantia* etiam in ipsa Israëlitarum lingua deprehenditur, quæ item non mansit prorsus eadem. Rectius longe docet ibidem, *Canaanem & Nimrodum fuisse in exstruenda turri haud dubie vel præcipuos.* Sed ex eo constare ergo debebat, nihil ex illo linguarum posteri temporis argumento elici posse, ad constituendos quosdam magis, aut minus, quam alios, Turris Babylonicæ conditores, quum Cananæi quoque pristinam retinuerint Linguam, & Turrim condiderint tamen eorum Majores vel præcipue, eosque potissimum Auctores operis secuta sit *Omnis Terra*, omnes *Filii Hominum*, licet forsan dissenserint Noachus, Semus, & Heberus, qui tamen vel sic *adfuerunt*, h. e. una cum reliquis hominibus, sicuti una eademque tunc utebantur lingua, ita pariter in eodem loco, vel Terra Sinear, vixerunt & habitarunt.

Præterea si *Linguæ Pristinæ Mutatio* in pœnæ tam gravis & horrendæ censum est referenda, tunc certe *Dispersio*, quam tanto opere volebant evitatam, longe graviori pro pœna omnino erit habenda, quippe quum eam illa Linguæ mutatio

na-

naturaliter (ut incerta eſt ſemper, & conſtans in inconſtantia ſua, rerum humanarum indoles) & neceſſario ſequi debuerit; & præterea nullum ſeparatis jam gentibus, modo ſingulæ ſecum invicem facile confabulari poterant, ut potuerunt, notabile attulerit incommodum vel malum; neque ullum præ aliis Populis præcipuum Hebræi ſua ex Lingua perceperint uſum fructumve. Jam vero, quum conſtet pene inter omnes, Nimrodum in ea Terra, ex qua Deus homines diſperſit, vel *manſiſſe*, ut ait [a] Joſephus, vel certe paulo poſt ſedes denuo fixiſſe, & regnaſſe, ſiquidem *caput ejus Regni* dicitur Geneſ. X. *fuiſſe Babel*, quis non videt, quanto igitur potiori jure ſtatuendus ille eſſet non modo immunis, ut revera fuit, a præcipua facti pœna, quæ eſt iſta *Diſperſio*, ſed & ab ipſo facti ſeu peccati conſortio; quandoquidem, ſi Semus & Heberus propterea, quod una ex tot gentibus a ſe ortis priſtinam creditur retinuiſſe linguam, expertes peccati exiſtimantur, multo magis Nimrodus expers cenſeri debet, ut qui ipſe, quum reliqui, etiam Semus & Heberus, terram Sinear per cauſam iſtius Diſperſionis reliquerint, eam vel retinuit vel paulo poſt repetiit, certe deinceps poſ-

[a] Vid. ſupra *Pag.* 43.

sedit? Hunc tamen Nimrodum Buxtorfius aliique ἐργοδιώκτην & signiferum illius aedificationis statuunt; neque id sine ratione. Sed tamen quomodo hæc eorum sententia cum argumento, quod a Linguæ primitivæ Mutatione, tanquam pœna facti, petunt, congruat, viderint ipsi. Certe Vir Summus, Sam. Bochartus, sensit sic satis hujus retorsionis vim, & idcirco in suo *Phalego d. l.* solus, ut opinor, existimat, *Nimrodum non fuisse ex illorum numero, qui Turrim exstruxerint, sive tum Puer fuerit, seu nondum natus.*

At vero mera est hæc quoque conjectura, quæ everti facillime potest alia item conjectura, sed longe probabiliore, & ab ipso Viro Summo allata, qua statuitur *Nimrodus* ita a *rebellione* dictus. Recte omnino. Sed a qua quæso rebellione? Nisi ab ea, qua quum etiamdum conjuncti essent omnes totius Terræ homines, Nimrodus contra Noachi consilium, sententiam, factamque haud dubie ab eo voluntatis divinæ denunciationem, reliquos tamen, addictos sibi, homines incitavit ad obviam eundum dispersioni, & exstruendam ea gratia Turrim. Certe nihil aliud ex eo tempore in S. Scriptura memoratur, quod contra voluntatem Dei, per Noachum, ut credi par est, hominibus signi-

ſignificatam, ſit factum, atque adeo Nomini a *rebellione* formato occaſionem præbere potuerit. Neque vero hoc Nomen, quod proprie notat *rebellemus*, vel *rebellabimus*, ejus eſt generis, ut filio recens nato videatur impoſitum à Parentibus. Solent enim hi, quando Nomina liberis indunt, fauſtioris ſenſus & melioris ominis quærere appellationes. Crediderim ergo, Hominem hunc, utpote venatorem ferocem, & ſodalium comitatu ſuccinctum, ſemper in ore habuiſſe, & ingeminaſſe, ad reliquos in rebellionem excitandos, illud, נמרוד נמרוד h. e. *rebellemus*, *rebellemus*; atque inde poſtea ab aliis, etiam ab ipſo Moſe, hoc vocabulo, tanquam proprio Nomine, deſignatum. Sæpius enim illud accidit olim, & accidere etiam nunc ſolet, ut Homines a vocabulo quodam, quod frequenter & notabiliter uſurpant, cognomen primo accipiant, idque tandem in Nomen eorum Proprium transeat. Sic apud Tacitum *Ann.* I. 23. Centurioni cognomen *Cedo alteram* indidiſſe leguntur Milites, *quia fracta vite in tergo militis alteram, ac rurſus aliam, poſcere* ſolebat. Similiter apud Senecam *Suaſor.* II. Senecioni, *qui cupiebat Grandia dicere, adeo ut noviſſime hujus rei morbo & teneretur & rideretur*, ex eo *impoſitum eſt cognomen, &*

vocari cœpit GRANDIO. Neque alia ratione Antigonus, qui Macedoniæ ante Philippum Persei patrem præfuit, dicebatur, ut refert Plutarchus [a], Δώσων, *Daturus*. Scilicet, quia illud, δώσω, δώσω, *Dabo*, *Dabo*, magis ore promptum habebat, quam rebus ipsis præstabat. Denique in ipsa S. Scriptura Judic. VI. 32. Gideoni nomen datum dicitur *Jerubbaalis*, quia pater ejus continuo dicebat, ירב בו הבעל *contendat contra eum* Gideonem *ipse Baal*, *quia destruxit altare ejus*. Liquet porro illud quoque ex ultimo hoc exemplo, Scriptores sæpe Cognomen, alicui ex casu quodam impositum, pro pristino & Proprio ejus Nomine usurpare, siquidem Gideon aliquoties deinceps simpliciter *Jerubbaal* vocatur. Idque adeo frequens est, ut multorum etiam clarissimorum Hominum genuinum seu pristinum nomen vix ex Historiis hodie sit cognitum, immo multorum haud dubie plane sit obliteratum. Nam quotusquisque est, qui Protesilaum alio nomine novit, quod fuit *Jolaus* [b], aut Electram Agamemnonis Filiam, cu-

a In Vita Coriolani *pag.* 218. & Paulli Aemilii *pag.* 258. *Edit. Francof.*

b Ita Hyginus *Fab.* CIII. De Chlori est in Pausaniae *Corinthiacis Cap.* XXI. de Olympiade in Justino *Lib.* IX. *cap.* 7. de Priamo in Apollodoro *Lib.* II. *cap.* 6. & Hygino *Fab.* XLIX.

cujus priſtinum nomen fuit *Laodice* (Vide quæ notavi ad Ælian. *Var. Hiſt.* IV. 26. 4.) aut Chlorin Niobes Filiam, quæ olim fuerat *Melibœa*, Olympiadem Alexandri M. Matrem, quæ antea *Myrtale*, Priamum Regem Trojanorum, qui puer dicebatur *Podarces*. Neque aliter, opinor [a], ſe res habuit cum *Abele* Adami Filio, *Nabale* Abigailis marito, *Caco* paſtore ab Hercule occiſo: quippe quæ nomina haud dubie ſucceſſerunt prioribus plane jam obliteratis, æque ac apud Scriptores Sacros prævaluere *Joſuæ*, *Eſtheræ*, *Petri* & *Pauli* nomina, præ eorum genuinis *Hoſeæ*, *Hadaſſæ*, *Simonis*, & *Sauli*. Sed ut redeamus ad *Nimrodum*, ſiquidem is hoc nomen a *rebellione* accepit, nec ul-

a Paullo poſt *haud dubie* dicens ſignificat rem certam eſſe. Non ſcio an etiam alii de *Abelis* & *Nabalis* nominibus in eadem ſententia ſint, nec, ſi qui ſunt, quibus argumentis eam confirment: mihi ex Scriptura S. Geneſ. IV. 2. & I. Samuel. XXV. 25. res non ſatis videtur liquere. *Cacum* a κακὸς dictum ab Arcadibus Graecis, qui cum Euandro in Italiam venerant, tradunt Servius ad Virgilium VIII. *Aeneïd. vers.* 190. & Fulgentius II. *Mytholog.* 6. propter *malitiam* ſcilicet, i. e. furta & rapinas. Unde conſequens eſt alio nomine dictum fuiſſe, antequam κακίαν illam prodiderat. Sed hoc quoque dubitationem recipit: nam prima ſyllaba hujus nominis, quae in κακὸς corripitur, apud Poë-

lum vel minimum rebellionis, aut rei, contra voluntatem Dei a Noacho haud dubie prædictam factæ, vestigium in illo tempore occurrit, præterquam in illa Urbis & Turris Babylonicæ exstructione, quis dubitare tum possit, ejus operis participem, immo Principem & Ducem, fuisse Rebellem Nimrodum, tanto magis, quia etiam postea immorigero & pervicaci animo Babelem repetiisse, & *Regni sui Caput* habuisse videtur?

Neque vero in expositam supra sententiam delapsus fuisset Bochartus, nisi & ipse nimium tribuisset argumento illi ab operis pœna, Linguæ scilicet pristinæ Mutatione, & Hominum Dispersione, petito, in quo refutando versamur. Nam ait,

Poëtas Latinos semper longa est; & Caci soror, de qua nihil eorum, quae de illo, proditum est, quaeque Herculi indicium furti fratris fecit, *Caca* vocata, ac deinde divinis honoribus culta est. Vid Servium *l. d.* & Lactantium *Lib.* I. *cap.* 20. Nec Grammaticis in his rebus multum tribuendum est, quorum etymologiae saepe vanae & incertae, immo plane falsae sunt. Non improbabilis est conjectura famoso huic latroni jam inde a prima aetate nomen fuisse *Caco*, & Graecos ad suum κακὸς respicientes dixisse, vere *Cacum* esse: quemadmodum apud Spartianum in *Severo Cap.* XIV. quidam dicebant, *Severum esse vere Imperatorem nominis sui.*

ait, *alioqui*, si scilicet ex illorum numero fuisset Nimrodus, *cladem communem non evasisset, atque illi cum ceteris fuisset alio migrandum. Putat* igitur, *post illam cladem, terram Sinear jacuisse aliquot annis desolatam, donec Nimrodus*, jam scilicet *natus*, immo adultus, & ex *pueris* egressus, *eo se conferre est ausus cum Chusæorum manu, ut opus* Majorum suorum *dudum interruptum continuaret, & perduceret ad umbilicum.* Sed patebit ex sequentibus, illam hominum dispersionem non in tristes utique singulorum solitudines factam, sed in familias & societates plurium, neutiquam habendam ingentis pœnæ loco, sed simpliciter pro effectu voluntatis divinæ, immo, ut ipse Bochartus loquitur *lib.* 1. *cap.* 16. *generi Humano fuisse utilem*, seu, ut Aben Ezra ad h. l. *fuisse bonam.* Quapropter quæcunque ex ea elicit & *putat* Vir Eximius de *terræ Sinear desolatione*, & post aliquot annos Nimrodi, tunc jam *nati*, nec amplius *pueri*, in eam reditu, quum plane etiam Nimrodi ætati repugnent (quippe qui Chami fuit tantum Nepos, quum Heber Pronepos Semi, tempore istius dispersionis, jam vixerit, & jam fuerit pater Phalegi) falsa sunt haud dubie, certe nullo plane subnixa fundamento. Adde, quod, si maxime Terra Sinear

pror-

prorsus *jacuisset desolata*, æque tunc sane Pii ac Impii ex ea fuissent dispersi, & vel sic id, quod pro Pœna habet Vir Summus, utrorumque fuisset commune: quum tamen paulo ante (*Phal*. I. 10.) *Fideles a Pœna immunes, & aliis dispersis disjectisque in varias terrarum oras, a pristinis sedibus haudquaquam recessisse* statuerit, sed & hoc male. Dicet forsan, mansisse illos tamen in proximis regionibus, sicut Abrahami majores habitasse leguntur in Chaldæorum Terra. At eam ipse ad initia usque Tigridis & Mesopotamiæ, ubi Ur Chaldæorum locatur juxta Nisibin, removet; dein secesserunt utique alii Semitæ longius, velut in Assyriam, ubi ædificata Ninive, & Persidem Elamitarum. Nec credibile est, Chami Nepotes statim in extrema terrarum secessisse. Quin hæserunt & ipsi vel maxime in vicinis Sineari locis versus Occidentem & Meridiem, ut saltem ex Chusæis liquet. Sic videmus in quas difficultates & conjecturarum ambages implicuerit vel impegerit Virum Maximum inane illud argumentum a Dispersione, tanquam Pœna exstructæ Turris, desumptum.

Sed nequaquam minori incommodo aut absurdo laborat ceterorum sententia, qui Linguæ pristinæ Mutationem itidem pro

Pœna

Pœna operis habent, & ideo ejus operis Semum ac Heberum expertes ſtatuunt, quia videlicet una ex omnibus illorum familiis retinuerit priſtinum ſermonem; quum interim Nimrodum illi operis iſtius ἐργοδιώκτην & Ducem dicant, licet iſte ſolus cum ſuis non fuerit e Terra Sinear in alias oras ejectus, ut fuerunt omnes Semi & Heberi familiæ, etiam illa, quæ ſola Linguam retinuiſſe creditur. Et quamvis nonnulli certe illorum Interpretum haud ignorent, Bochartum propter id unum excluſiſſe ex ſocietate operis Nimrodum, quia expers fuerit communis Pœnæ, cujus præcipua pars locari deberet in illa Diſperſione; tamen difficultatem hanc juſtiſſimam ſane, ſi ſuam ipſorum argumentationem a pœnæ immunitate pro Hebero ductam ſpectent, prorſus vel diſſimulant, vel certe non removent. Omnes enim affirmant confidenter, *Diſperſionem populorum Pœnæ rationem hic habuiſſe, certum eſſe & manifeſtum*, Buxtorf. *pag.* 74. *& ſocios in opere fuiſſe ſocios in pœna*, Schot. *pag.* 49. *tutos itaque fuiſſe, qui non fuerint inſani operis ſocii*, *pag.* 86. & *tantum punitos, qui culpæ affines, turris ſtruendæ ſocii fuerint*, *pag.* 91. *Communis culpæ ſocios, par fuiſſe, communi pœna exæquari*, Heideggerus *pag.* 640. Ex altera tamen parte iidem Nim-

Nimrodum tradunt fuisse ἐργοδιώκτην & *antesignanum*, Buxtorf. *pag.* 70. immo *omnino credi debere, Nimrod ducem cœpti & ἀρχηγέτην fuisse, qui* tamen *ea loca, discedentibus aliis, retinuerit sibi suisque*, Schotanus *pag.* 49. *Consilio huic exsequendo ducatum haud dubie præbuisse Nimrodum*, Heidegg. *pag.* 643. qui id confirmat insuper auctoritate Josephi, Augustini, & Constant. Manassis. Sed de Bocharto nullum heic verbum faciunt, licet Clariss. Heideggerus quidem alibi, *pag.* 693. ejus sententiam refutet, existimantis *Nimrodum, utpote Cuschæum seu Arabem, concivium suorum ope* postea demum *ad imperium evectum*: putetque in alia omnia discedens, *eum jam ante gentium dispersionem Urbes* in Terra Sinear *condidisse & principatum erexisse.*

Quin immo Doctiss. Morinus *Exercit. cap.* 8. *pag.* 48. diserte agnoscit, Bochartum *dubitasse, an Nimrod ipse ædificatoribus Turris Babylonicæ esset annumerandus, immo an tunc etiam natus fuerit*, & quidem hac ratione, *quod imperium in Babylonem ille obtinuit, quo declaretur expers dispersionis in pœnam rebellibus inflictæ.* Operæ pretium est, ut cognoscamus ejus nodi solutionem, a Viro Doctiss. propositam. *Duplex pœna*, ait, *rebelles debuit affligere, nempe*

pe ex patriis ſedibus expulſio, & primævæ linguæ amiſſio: non Omnes autem è Babylonis vicinia ejecti, ſed plures, etiam è Chamitis, ibi remanſerunt, & nativæ duntaxat linguæ jacturam fecerunt. An ergo ulla fuit gens ex poſteris Semi & Heberi, quæ neutrum *duplicis* iſtius *pœnæ* ſubiit, ſeu, quod idem eſt, an ulli ab Hisce orti manſerunt ſimul *in terra Sinear*, & retinuerunt *primævam linguam?* Si nulli; qua in re igitur differunt a Chamitis reſpectu *pœnæ duplicis*, & concluſionis inde faciendæ de Majoribus utrorumque, utrum participes, an expertes fuerint operis, quod *duplici pœna* punitum traditur? Immo quæ ratio eſt, Nimrodum facere *criminis* non modo *conſcium*, ſed & *Auctorem*, qui ipſe non fuit, certe non in perpetuum aut longum tempus, *ex patriis ſedibus expulſus*, & cujus poſteritas *ex nativa Lingua*, quæ creditur eſſe Hebræa, vix quicquam amplius *amiſit*, & quidem longiſſimo tempore usque ad captivitatem Babylonicam, quam quantum Æolica ex. gr. dialectus à communi Lingua Græciæ abit: Heberum contra affirmare operis ſeu criminis expertem, quia una gens ex tanta ejus poſteritate, trecentis vel quadringentis demum annis poſt alibi exoriens ex ſolo Iſräele, Abnepotis ſui Nachoris Abnepote, quæque in-

ſuper

ſuper poſt ſæcula, minimum plus duo, Servitutis in Ægypto & Erroris per deſerta, ſedem certam & ſibi propriam tum demum fixit in regione a terra Sinearis longe remota, quia illa, inquam, retinuerit, non utique *patrias* Sinearis *ſedes*, ſed tantum *linguam nativam?* Verum pergit, *utraque pœna aliquandiu potuit differri, & demum poſt aliquot annos etiam poſteris infligi, & ſic cum Nimrodo actum putamus.* Quid? an usquam legitur poſteritas Nimrodi, non dico exteris Regibus ſubjecta, quod vere accidit, nec ad rem quæſitam pertinet, ſed e terra Sinear, ſeu *ex patriis ſedibus, expulſa*, vel penitus deportata? Annon ille ipſe, etiam tempore Danielis, etiam Alexandri M. cultus fuit *Beli* nomine a ſuis Babyloniis, tanquam eorum progenitor & conditor, ſeu indigena Deus? Immo annon e contrario illa Iſräelis progenies non modo deportata fuit ex patriis promiſſæ ſibi & datæ Terræ ſedibus, ſed & priſtinam ſuam Hebræam linguam paulo poſt ex vernaculo uſu amiſit, atque adeo, ſi Poſteri quoque hic ſunt ſpectandi, in iis *duplicem* illam *pœnam* pariter ſubiit?

Quid plura? Luce ipſa, ni fallor, clarius liquet undiquaque implicitos teneri, qui præter Scripturam ex habitatione con-

junctá

juncta Omnium in Terra Sinear, & Urbis, Turrisque exstructæ Historia, integras familias excludunt. Nullum debet esse dubium, quin omnes Noachidæ, ut ostendi, cum ipso Noacho pariter in Terra Sinear habitaverint, & consilium per se ἀδιάφορον istic inierint, ne dispergerentur, aliud tamen, sed frustra, suadente ac monente Noacho; cui qui, & quot, auscultaverint, definire quis possit, quum Moses ipse non definiat? Paucos tamen illos fuisse necesse est, quia Moses consilium illud & ejus exsecutionem simpliciter sine ulla distinctione *Filiis Hominum* & *Omni Terræ* tribuit. Ne vero quis putet, me solum ita in contrarium discedere a Magnis illis Nominibus, & recepta vulgo sententia, sciri velim, non modo Josephum [a], & Sibyllam ab eo laudatam, hanc Historiam adscribere Omnibus sine exceptione hominibus, sed & disertissime idem affirmare Tostatum, Pererium, Salianum, Bonfrerium. Adde his Cl. Coccejum ad Genes. XI. 2. denique Clericum ad XI. 5. & haud dubie plures alios.

a I. *Antiquitat.* 5.

CAP. IX.

Hiſtoria Turris exſtruendæ allegoricè exponitur a Philone: *nec longe abscedit* vonder Hartius. *Illa vero literaliter & Hiſtorice eſt interpretanda, idque liquet ex Stylo, & ex Scriptoris conſilio, denique ex Hiſtorica facti Veritate.* Homerum *allegoricè quoque expoſuerunt nonnulli. Hiſtoria vera, Grammatice intellecta, poteſt dein tamen allegorice quoque accipi. Qua in re nobis præivit* Paulus, *qui non egit mala fide, ut quidam videntur velle.* Confuſio Labii & Labium unum *de Lingua ſeu Sermone eſt accipiendum. Similiter* Verba una.

POSTQUAM declaravimus ſic ſatis, de quibus agat Moſes Geneſ. XI. atque oſtendimus, omne genus Hominum, *Omnes*, non *Quosdam*, Noachidas habitaſſe conjunctim in Terra Sinear, ſequitur nunc, ut ipſam eorum Hiſtoriam iſtic rela-

relatam, ſeu quid de iis Moſes tradat, quid Homines illi conati ſint, quidve ſpectaverint, explanemus. Quod tamen antequam aggrediamur, præmittenda erit neceſſario brevis disquiſitio, de primo & vero ipſius narrationis Moſaicæ ſenſu, ſeu an ſingula ejus verba & locutiones, Hiſtorica, propria, & uſitata ſignificatione ſint interpretandæ, an vero primitus & directe in Allegoricam & Typicam ſint expoſitionem convertendæ. Etenim quia non ſatis liquebat, quid tanto conatu, tanta *Turris* mole exſtruenda, egerint *Omnes* illi *Homines*, aut ſpectaverint, quidve in eo peccaverint; Tum quomodo *Nomine ſibi faciendo* apud poſteros cavere potuerint, *ne* in præſentia ipſi *diſpergerentur*; Denique quæ iſta fuerit *Confuſio Labii* ante diſperſionem, illis immiſſa; ideo nonnulli totam hanc Hiſtoriam Allegorice, alii partim Figurato, partim Genuino ſenſu, ſunt interpretati.

In illis eſt Philo Judæus, qui peculiari libello hanc laciniam *Capitis* XI. exponens *labium unum totius terræ*, interpretatur κακῶν ἀμυθήτων καὶ μεγάλων συμφωνίαν, h. e. *conſenſum infandorum & magnorum malorum, in quæ conjuraverit omnis terra*; Hos porro *conjuratos ex Oriente vitiorum veniſſe, & quaſi quærentes inveniſſe in ſuo*

 pecto-

pectore campum Malitiæ, qui diceretur Sinear, *h. e. Excussio. In eo autem exstruxisse Malitiæ, tanquam Tyranno, Turrim, quasi Arcem, communione quadam iniquorum operum: sed & Urbem Vitiorum munivisse, firmisque mœnibus circumdedisse, ne pateret hostilibus incursionibus Virtutum; & ita quæsivisse Nomen magnum potius quam bonum apud posteros, antequam dispergerentur, vel dissiparentur, ac è medio tollerentur. Deum porro confundentem labia, reddidisse singulas partes Malitiæ mutas surdasque, adeo ut neque suas cogitationes proferendo, neque aliis consentiendo, nocere amplius possent. Ita vero profligasse Vitiorum Urbem, & Arcem Malitiæ.* Habes hic summatim & compendio expressam Philonis τροπικὴν ἀπόδοσιν, *figuratam expositionem*, ut ipse vocat, quam secutum se profitetur, quia alii calumniabantur Mosaicam Legem tanquam *Fabulas continentem, similes plane traditioni Græcorum de Gigantibus, qui montibus congestis cœlum invadere sint conati*; & quia *Unius Linguæ in plures divisio minime idoneum videbatur remedium Malitiæ Hominum coërcendæ, quum nihilo sane minus post exortam Linguarum varietatem peccent vulgo Homines, immo Terræ & Maria infandis Malis reperiantur plena; neque Linguæ, sed conspirantes Animi ad*

peccan-

peccandum Affectus, sint causa communis Malitiæ; denique & vel maxime, quia *Confusio Labii neutiquam possit denotare* γένεσιν διαλέκτων, *ortum Linguarum*, quem ceteroquin ex hac Historia & phrasi eliciant Interpretes, quum unius Linguæ in plures distractio non sit appellanda σύγχυσις *confusio*, sed potius τομὴ, ἢ διανέμησις, ἢ διάκρισις, *dissectio*, *divisio*, *aut distinctio*. Nec dubito, hanc illi unicam fuisse caussam, quare Libellum hunc istoc potissimum Συγχύσεως vocabulo inscripsit, ut ex quo præcipuam allegoricæ illius interpretationis rationem petiit. Sed nos de ea *Confusione*, ut & Peccato, quod exstruenda Turri declaratum putat, in sequentibus magis ex professo agemus. Fabulæ vero Græcorum complures ex Historia Mosaica derivatæ, sua illa similitudine, quippe quæ in tali derivatione est necessaria, nihil habent aut præbent argumenti ad eam propterea in allegoricum sensum flectendam, vel pro fabula quoque habendam.

Sequitur Philonem aliqua ex parte laudatus supra Cl. vonder Hartius, qui itidem *Labium unum omnis Terræ* interpretatur de *conspiratione*, non tamen Omnium Hominum, sed Solorum *Chamitarum in fœda & atrocia bella contra Semitas, quibus*

bus ut terrorem incuterent, ideo illos Urbem munitiſſimam & celſis per mœnia turribus inſtructam excitaviſſe, ne in Semitarum ditionem, ut prædixerat ipſis Noachus, unquam redigerentur; ſed Deum illud nefandæ conſpirationis & fœderis vinculum ſolviſſe diſſenſu inter illos excitato. Ita coactos cœpto munimento Semitis oppoſito deſiſtere, & eo relicto, in quam quisque raperetur regionem dilapſos. Urbi autem fatale impoſitum nomen Babelis, h.e. ſeditionis. Sententiam ejus exhibui, partim meis, partim, quantum patiebatur compendii ratio, ipſius Verbis. Ea vero quam longe recedat a conſilio Moſis, & Hiſtorico totius narrationis ſenſu, nemo non facile videt, & nos ſupra jam oſtendimus.

Sed neque deſunt alii, Viri ſane Eruditi, qui quoniam nullum plane vident commodi ſenſus nexum inter *faciendum Nomen*, & effugiendam hoc ipſo viventium tunc Hominum & Corporum *Diſperſionem*, decurrunt in eo, & quibusdam aliis, recta ad Figuratam interpretationem, licet reliqua Hiſtorice tamen exponant.

Ego vero ita exiſtimem, Laciniam hanc continere ſimpliciter vel Parabolam, vel rem vere geſtam, atque adeo ſingula ejus verba, non, alia hoc, alia illo, ſed omnia,

omnia, vel figurato ſtatim & typico, vel proprio & ſimplice ſenſu accipienda; at conſtituta jam ex illis verbis per rectam interpretationem Hiſtoria, poſſe eam deinceps totam, vel ejus ſaltem præcipuum argumentum aut Caput, Allegorice quoque exponi, & intelligi. Veram autem per omnes ejus partes narrari iſtic Hiſtoriam cenſeo, & idcirco in omnibus ineſſe Hiſtoricum & ſimplicem ſenſum. Idque conſtare arbitror primo ex ſimplicitate & æquabilitate Styli plane Hiſtorici. Nihil enim hic intricatum, nihil ſalebroſum, nihil allegoricum aut myſticum comparet. Nihil conſulto in aliquem receſſum videtur reconditum, ut fieri ſolet in mere typicis & propheticis. Conferamus hanc partem, ut & reliquam Geneſeos Hiſtoriam, cum ultima Jacobi allocutione ad Filios Geneſ. XLIX. quæ jam tota eſt Tropica & Figurata rerum poſt futurarum prædictio. Omnia iſtic conciſa, metaphorica, & figurarum ac comparationum involucris obtecta, omnia denique ita propoſita, ut cuilibet ſatis ſuperque appareat, latere aliquid amplius iſtic in ipſarum locutionum ſenſu & receſſu, quam quod frons prima verborum præferat, aut ſtatim declaret. Tale quid, quum haud facile alibi in illo Geneſeos libro,

plane Historico, certe neutiquam in hacce occurrat lacinia, cumque ea ipsa insuper non rei futuræ prædictionem, sed gestæ narrationem palam contineat, sensusque habeat plenos, & planos, non ita concisos aut ex professo tropicos, quis est, qui non videat, diverso itaque modo, h. e. non illo figurato, sed potius proprio sensu, verba ipsa & locutiones hic esse accipiendas, nec Historiam, propter unam aut alteram forte difficultatem, allegoricis interpretationibus involvendam aut pervertendam? Deinde vero ex mente etiam & consilio Scriptoris, qui nobis in Genesi non utique Parabolas, sed veras narrat Historias, liquet clarissime, non ergo aliter quam genuino & proprio sensu hujus quoque Historiæ verba esse exponenda.

Sed tamen, ne quis hanc forsan excipiat Historiam, aut præ aliis in Parabolam flectat convertatve, considerari hic velim manifestum cum superioribus nexum, consilium Mosis apertissime declarantem. Nam quum in proximo Capite nihil aliud, nisi posteritatem Noachi ex tribus ejus Filiis, commemorasset, & singulorum Filiorum posteris subjecisset hoc veluti epiphonema, *Ab his* (Japhetitis) *divisi sunt insulani*, seu *insulæ gentium in suis*

ſuis terris, quique in ſuam Linguam, in ſuas familias, in Gentibus ſuis, §. 5. *Hi ſunt Chamitæ ſecundum familias & Linguas ſuas, in Terris ſuis & Gentibus ſuis* §. 20. & iisdem plane verbis de *Semitis* §. 31. immo ad extremum iſtam enumerationem Noachidarum & Caput ipſum finiviſſet his verbis: *Hæ ſunt Familiæ Filiorum Noachi ex Serie generationum ſuarum in Gentibus ſuis, & ex illis ſeparatæ exſtiterunt Gentes in Terra poſt Diluvium.* Quum ergo toto hoc proximo Capite per occaſionem exponendæ nominatim poſteritatis Noachicæ, eam identidem in varias Familias, *Gentes & Linguas per diverſa terrarum* diviſam & diſtinctam ſignificaſſet, vel tantum obiter dixiſſet, ſubjicit ideo confeſtim, qua occaſione & cauſa acciderit ipſa illa Hominum in unam antea eandemque Terram, Sedem, Familiam, Populum, Linguam, conjunctorum ſeparatio ſeu diſperſio, &, quæ illam diſperſionem neceſſario ſequi debebat, Linguarum diverſitas. Manifeſtum igitur & evidens plane, ſimpliciter & Hiſtorice intelligendum, quicquid in ea narratione de Lingua vel *Labio*, deque *diſperſione hominum*, eorumque conſilio & facto ad evitandam, quoad ejus fieri poſſet, illam diſperſionem inito & cœpto refertur.

Denique non esse hanc Parabolam aut Prophetiam primo & præcipuo sensu, sed veram plane Historiam, patet etiam ex Circumstantiis Facti, quippe quas Historice accipiendas aliunde etiam, seu ex conservata utcunque hujus Historiæ etiam inter Gentiles traditione probari, ac rebus ipsis demonstrari potest. Nam sicuti heic homines dicuntur una usi Lingua ante dispersionem, & in terra Babylonica exstruere cœpisse Urbem & Turrim altissimam, & quidem ex lateribus coctis, bitumine nexis; sic plane non modo antiquissimus Sibyllinorum Auctor a Josepho laudatus, tum Eupolemus, aliique tradunt, Homines primos, τέως ὄντας ὁμογλώσσους, *qui antea ad hoc usque tempus una utebantur Lingua*, exstruxisse istic ὑψηλότατον πύργον, verum intervenientibus Diis & opus hoc impedientibus *dispersos* inde fuisse *per omnem terram*, διασπαρῆναι καθ' ὅλην τὴν γῆν, & ita πολύθροον φωνὴν ἐνείκασθαι, *varium accepisse sermonem* [a]: sed & Herodotus, Diodorus, Arrianus, & complures Alii, etiam diu post exstitisse ajunt Babylonica in Urbe altissimam plane Turrim,

a Haec partim ex Auctore Sibyllinorum apud Josephum I. *Antiquit.* 5. sunt, partim ex Abydeno & Eupolemo apud Eusebium *Chron. Gr. pag.* 13. & IX. *Praeparat. Euang.* 14. & 17.

rim, cujus hoc tempore fundamenta videntur jacta, eamque ut & muros Urbis ædificatos ἐκ πλίνθου ὀπτῆς ἐν ἀσφάλτῳ ἡρμοσμένης [a], plane ut Josephus ἐκ πλίνθου ὀπτῆς ἀσφάλτῳ συνδεδεμένης, *ex lateribus coctis, bitumine junctis*; Vide ipsa Veterum loca apud Bochart. *Phalegi* I. *capp.* 11. & 13. Adde Fabulam Gigantum, qui congestis montibus cœlum invadere & conscendere voluerint, omnium Eruditorum consensu ex hac quoque Historia ortam.

Quapropter, quum hæc omnia ita se habeant, & cum Stylus ipse, tum Consilium Scriptoris, ipsiusque narrationis Nexus cum superioribus, denique certa ex Eventu Facti Historici veritas, veram hanc esse Historiam, non Parabolam, clarissime probent; Ego quidem omnem ex ejus prima verborum interpretatione parabolicum figuratumque sensum prorsus excludendum, eamque omni ex parte literaliter, ut dicitur, ac proprie, primitus accipiendam, nullus dubitem. Ceteroquin enim quid tandem manebit integrum & intemeratum in Historiis non tantum Mo-

a Arrianus VII. de *Expedit. Alex. c.* 17. Diodorus Sicul. *Lib.* II. *pag.* 69. τῆς ὅλης οἰκοδομίας ἐξ ἀσφάλτου καὶ πλίνθου πεφιλοτεχνημένης πολυτελῶς. De Turri e medio templo Beli educta Herodotus *Lib.* I. *cap.* 181.

Mosaicis, sed & Euangelicis, quin excogitatis facile qualibuscunque allegoriis & figuris in parabolam flectatur, an corrumpatur? Nam quid est, quo minus Euangelica Historia de ortu, vita, & nece Christi eadem facilitate in figuram redigatur, ut jam a quibusdam tentatum factumque scribit Celeberr. Heidanus *de Orig. Erroris?* aut Mosaica de Mundi rerumque humanarum origine, quod & olim complures, & novissime iterum magno conatu tentavit T. Burnetius in *Archæologia* sua, quasi Moses, ὐ φρονῶν ταῦτ' ἔλεγεν, ἀλλ' αἰνιττόμενος καὶ μεταφέρων, *ea dixisset, non ita ipse sentiens, sed alia plane per ænigmata & metaphoras significans*, quomodo Homerum in iis, quæ ille de Diis passim cecinit vel finxit, excusari a quibusdam ait Dio Chrysost. ἐν τῷ Τρωικῷ [a]? Neque vero de Homeri quidem θεολογȣμένοις id mirari par est, aut a verisimilitudine mysticam illam fabularum interpretationem prorsus abhorrere existimandum, siquidem diserte Clemens Alexandr. *lib. 5. Στρωμ. p. 556. Ed. Paris.* affirmat, *Omnes* τοὺς θεολογήσαντας, *æque Græcos ac Barbaros, initia rerum occultavisse, veritatem autem ænigmatibus & symbolis, tum allegoriis, & metaphoris, ac similibus quibusdam tropis*

[a] *Pag.* 155.

pis tradidisse; atque ejus generis fuisse Græcorum oracula, & inde Apollinem Pythium dictum fuisse Λοξίαν, *h. e. Obliquum.* Dein pag. seq. *Ab his autem Prophetis Theologiam edoctos Poëtas, Orphea scilicet, Linum, Musæum, Homerum, & Hesiodum, aliosque ejus generis Sapientes,* δι᾽ ὑπονοίας πολλὰ φιλοσοφῆσαι, *mystica vel ænigmatica ratione multa philosophatos. Velum autem ipsis esse apud vulgus Poëticam animorum oblectationem, somnia nempe & symbola, quæ omnia hominibus sint obscuriora; nempe ut in horum ænigmatum intellectum penetrans industria ad inveniendam veritatem studiose quasi irruat.* Et sane talem Homeri sive defensionem sive expositionem habemus ex professo factam olim a Proclo Lycio [a], qui passim Græcorum *totam de Diis disciplinam mysticam* esse ait, *a cujus cognitione profanum vulgus sit arcendum*, atque idcirco non modo cærimonias & ritus sacros, quos ipse *ridiculos* sæpe vocat, sed & fabulas Poëticas & maxime Homericas, verbis quidem, & externa specie, respicere ac memo-

a In Commentario ad *Librum* II. Platonis *de Republ. pag.* 368. & *seqq. Edit. Valderi.* Nec Proclus tantum, verum etiam alii putabant, fabulas Poëtarum de Diis μυστικῶς & ἀλληγορικῶς accipiendas. Vid. Clariss. Fabricium *Lib.* II. *Biblioth. Graec. cap.* 6. §. 12. & *lib.* V. *cap.* 26. §. 16.

morare Dæmonas, qui circa materiam versentur, & Hominibus ac Populis sint præfecti, sed μυστικῶς denotare Summi Numinis Naturam, Providentiam, Operationem, Dæmonum ministerio utentis. Id quod per omnes pene fabulas seu narrationes de Diis Homericas hunc in modum exsequitur, ut, exempli gratia, quod reliquorum sit instar, Vulcani præcipitationem de cœlo exponat per processum divinæ operationis ad hæc inferiora. Ceterum, ab hisce veluti initiis symbolicæ interpretationis, quæ in rebus divinis apud Homerum locum forsan jure quodam suo habebat, longius progressi quidam totam Belli quoque Trojani Historiam in allegorias tandem & parabolas converterunt. Certe de Metrodoro Lampsaceno ait Tatianus Assyrius in *Orat. contra Græcos* [a], eum ἐν τῷ περὶ Ὁμήρου, πάντα εἰς ἀλληγορίαν μετάγειν, *omnia in allegoriam transferre*, & non tantum *Jovem*, *Junonem*, *Minervam*, sed & *Hectorem*, *Achillem*, *Agamemnona*, *& omnes omnino Græcos & Barbaros cum Helena & Paride ad Naturam referre, eosque dicere tantum œconomiæ caussa in Poësin inductos, nec quenquam illorum Hominum revera extitisse.* Verum ut *nimis inepte* ab illo disputa-

a *Cap.* XXXVII. *Edit. Oxon. Ann.* 1700.

putari hæc censet Tatianus, & ut haud dubie perperam ille egit, ac modum in hisce excessit, pervertendo & in Parabolas meras redigendo ac corrumpendo Historicam ipsius Belli veritatem; sic longe tamen speciosius illa fingebantur, quam quæ hodie tentantur ab iis, qui Homerum Sacram & Patriarcharum Israëliticorum Historiam cecinisse affirmant, quo nihil stultius excogitari potest [a]. Verum hæc nugis & ineptiis Hominum possunt tuto permitti, at ne idem illud in Sacris quoque eveniat, hoc est, ne omnia Historiæ Sacræ confestim ac unice in allegoricum tropicumque rapiantur sensum contra Scriptoris mentem, & rerum gestarum seriem, sedulo cavendum arbitror.

Nihil tamen vel sic obstat, quo minus ipsæ illæ Veteres Patriarcharum Historiæ, sed literaliter, ut dicitur, prius per omnes partes explicitæ atque constitutæ, deinde etiam, ut fecundissimus est Scripturæ Sacræ sensus, & admirabilis quæ-dam

a Tangit, ut puto, Gerardum Croesium, qui in Libro, cui Indicem fecit *Homerus Hebraeus*, haec deliramenta loquitur. Vid. Cl. Fabricium *lib.* II. *Biblioth. Graec. cap.* 6. §. 2. Nec saniora sunt, quae in mentem venerunt Jacobo Hugoni, & Petro Loyerio, de quibus Idem *l. d.* §. 15. agit. Add. *Observat. Halens. Tom.* III. *Observ.* 3. §. 7.

dam divinæ providentiæ in rebus humanis ratio, typice accipiantur, resque alias ac diu post pari modo gerendas designare credantur. Certe Origenes *contra Celsum* lib. IV. pag. 192. 193. censet, res illas evenisse primis Hominibus τυπικῶς, h.e. ut res illæ typi essent rerum aliarum, conscriptas autem esse propter illos, qui dein viverent. Immo *Scripturam sæpe rebus gestis uti, ut doceat Majora, & mentis tantum sagacitati percipienda.* Et ita sane, ut quamplurima alia Mosaicæ Geneseos prætermittam, Hagaris & Ismaëlis Historiam vere sic, ut narratur, gestam, tamen etiam allegorice interpretandam, quis extra controversiæ dubium ponere fuisset ausus, nisi diserte præeuntem haberet Apostolum *Galat.* IV.? Quapropter simpliciter quidem & Historice accipiendum est & accipitur ab omnibus, quod Genes. XVI. dicitur Abrahamus ex ancilla Hagare genuisse Filium, & alium dein Genes. XXI. ex libera & legitima uxore Sara: sed & vere ita accidit, ut ille major natu ex ancilla genitus secundum carnem irriserit & persecutus fuerit hunc minorem ex libera natum, atque ideo Abrahamus rogatus a Sara & monitus a Deo ejecerit ex ædibus suis ancillam cum isthoc Filio, ne hæres ipsius esset una

cum

cum Saræ Filio. Sed tamen omnia hæc erant etiam ἀλληγορέμενα, Gal. IV. 24. h. e. per allegoriam aliud quid insuper denotantia, *duplex* scil. *Pactum*, h. e. Judaismum & Christianismum, illum in *servitute*, hunc in *libertate* constitutum, illum *terrestri Hierosolyma* superbientem & *persequentem cœlestis Hierosolymæ hæredes*, atque idcirco *ejectum* & exclusum cœlesti illa hæreditate. Nam hæc a Paulo fingi, vel *argumentationem* hanc arripi *ex concessis*, *quæ*, *nihil interest*, *vera sint & firma*, quin immo talia hæc esse, *ut pleraque*, *quæ a Viris doctis dicta sunt contra hoc interpretandi genus*, *etiam contra hæc ipsa dici possint*, quod tradit Clericus, vel, ut alibi ait, *eam allegoriam non esse rem exploratæ veritatis*, id vero quid aliud est, quam Paulum voluisse veritatem docere ac firmare argumentis, quæ ipse sciret nihil veri habere, immo esse vana & falsa? Nec enim Paulus ait Judæos ita argumentari solitos, & ideo hanc quoque allegoriam eos debere admittere, si ab aliis aut ab se jam proferatur; sed diserte affirmat, ea quæ in Lege narrantur de Sara & Hagare, *ESSE* figurato sensu ad alias quoque res denotandas dicta, atque adeo illas Feminas *ESSE duo Testamenta*, &c. Quæ jam in his species vel minima ar-

gumenti, non ex vera animi Apostolici sententia profecti, sed tantum *apud Judæos illis argumentis adsuetos non incommodi?* Verum, ut ad Babelem revertamur, ad eundem modum, quo Paulus Saram & Hagarem cum suis Filiis ad alias quoque res exprimendas recte transferri ex mente Dei docuit, Babylonicæ quoque Turris ab omnibus promiscue Hominibus ad evitandam dispersionem contra Dei voluntatem exstrui cœptæ, & secutæ tamen deinceps dispersionis hominum, & confusionis labiorum, Historiam non modo facile patior etiam ἀλληγορικῶς exponi, & ad mysticam Novi Testamenti Babylonem referri, sed & ita fieri posse censeo, sicuti infra pluribus declarabo. Verum tamen in ipsa illa rei gestæ narratione nihil figuratum, nihil reconditum, nihil μυστικώτερον, sed omnia simplicia, propria, Historica agnosco, neque per *Labium* quicquam, nisi Linguam & Sermonem intelligo, neque Homines, ædificanda illa Urbe & Turri, ac faciendo sibi *Sêm*, spectasse aut curasse quicquam aliud puto, quam *ne* ex illo loco, ubi conjunctim adhuc habitabant, in solitudines per diversa terrarum *dispergerentur*, aut fortuitis casibus aberrarent, licet a Deo per immissam illis extra ordinem & ad tempus

subi-

ſubitam ſermonis confuſionem adacti mox fuerint ad ſeceſſionem ab ſe invicem, cui ita enixe obviam ire ſtudebant, in varias tamen familias & regiones faciendam.

Quando igitur Moſes ait, Omnem Terram fuiſſe *Labii unius*, & *Verborum eorundem*, Deum vero *confudiſſe* iſtic *Labium Hominum*, certum reor, accipiendum illud ſimpliciter & directe de loquela, ſermone, lingua, & iisdem ſingularum rerum appellationibus per una eademque vocabula, ut ſcilicet omnes pariter *Terram* ex. gr. *uno* eodemque *verbo* ארץ / vel ſimili, deſignarent. Certum id reor, & vel maxime ex Conſilio Moſis liquere, qui, ut jam dixi, poſtquam ſuperiori Capite ſæpius memoraſſet ſeceſſionem Noachidarum in varias Familias, Terras & *Linguas*, ejus occaſionem nunc expoſiturus, præmittit in univerſum, ut par erat, Homines ante hanc diſperſionem fuiſſe Omnes *unius* plane *Linguæ & ſermonis*. Et ita hæc acceperunt Judæorum antiquiſſimi quique, Paraphraſtæ, Thalmudiſtæ, Scholiaſtæ, aliique Doctores, quorum plerique *Labium unum* diſerte interpretantur *Linguam Sanctam*, h. e. Hebræam. Vide Buxtorf. *diſſert*. 1. *de Linguæ Hebr. Origine pag*. 21. 22. 23. Adde LXX. Interpretes, qui hæc verba *Confundamus labium* &c. reddunt

 συγχέ-

συγχέωμεν αὐτῶν τὴν γλῶσσαν (*Linguam*) ἵνα μὴ ἀκȣ́σωσιν ἕκαςος τὴν φωνὴν τȣ̃ πλησίον. Sequitur eos Philo, qui & totam Hiſtoriam deſignavit hac inſcriptione περὶ Συγχύσεως Διαλέκτων, *de Confuſione Dialectorum* : nec non Joſephus, qui refert inſuper Deum feciſſe homines ἀλλογλώσσȣς, *diverſæ Linguæ*, καὶ ὑπὸ πολυφωνίας ἀσυνέτȣς, *& propter varietatem ſoni invicem haud intellectos*, locumque appellatum Βαβυλῶνα, διὰ τὴν σύγχυσιν τȣ̃ περὶ τὴν διάλεκτον πρῶτον ἐναργȣ̃ς, *propter confuſionem perſpicuitatis, quæ antea fuerat in ſermone.* Immo vero adde etiam Judæorum fabulas, quas temere nimis multi Chriſtianorum Patrum fuerunt ſecuti, ſtatuentium pariter 70. vel 72. Linguas diverſas in hac *Labii Confuſione* fuiſſe natas. Quin ad Gentes quoque hæc *unius Linguæ* traditio pervaſit, quarum Scriptores a Joſepho & Euſebio laudati [a], Homines ante hanc Turris Babylonicæ exſtructionem fuiſſe ὁμογλώσσȣς, *unius ejusdemque linguæ*, diſerte teſtantur.

Exiſtimat tamen Vir Doctus [b] in *Obſervationibus Sacris Lib.* 1. diſtingui apud Hebræos Scriptores ſignificationem vocum שפה & לשון/ *Labii* & *Linguæ*, & hoc vocabulo ſermonis *idioma* ſeu *dialectum*

a Vide ſupra *pag.* 202.
b Campegius Vitringa, Pater.

ctum notari, illo *ſententiam*, immo *haud arduum ſibi fore evincere, vix ulla occurrere ſacris in Literis teſtimonia, ex quibus cum ratione inſpectis ſignificatus hicce* dialecti ſeu idiomatis, *adeo huic voci* שפה *ab omnibus adſcriptus, poſſit urgeri.* Sed primo ipſe dein *cap. ſeq.* adferens locum Jeſaiæ XIX. 18. *Illo die erunt quinque Civitates in terra Ægypti loquentes* שפת כנען *labio Canaanis; Nullum dubitare*, ait, *intelligi hic LINGUAM, qua Deus Iſraëlitis myſteria ſua revelaverit. Eam vero Linguam appellari* Labium Canaanis, *quia Canaanitæ ea loqui conſueverant, pari modo atque Lingua Germaniæ ea dicitur, qua Germani utuntur.* Deinde vero adde Jeſaiæ XXVIII. 11. כי בלעגי שפה ובלשון אחרת ידבר אל העם הזה *quum ridiculis ſolœciſmis*, vel *barbariſmis* (ſeu, ut ſimpliciter Junius, *peregrino ſermone*) *& lingua alienigena allocutus ſit populum hunc.* Græci vertunt, διὰ φαυλισμὸν χειλέων, διὰ γλώσσης ἑτέρας. Pſalm. LXXXI. 6. *Terram Ægypti, ubi* שפת לא ידעתי אשמע *ſermonem (labium) ignotum audiebam:* Plane, uti Deuter. XXVIII. 49. גוי אשר לא תשמע לשנו *gentem, cujus Linguam non intelliges.* Rectius itaque idem Vir Doctus in *Editione* Secunda *Obſervationum cap.* 8. *nolit negare, vocabulum* שפה *poſſe habere ſignificatum Linguæ & Dialecti;*
 ſed

ſed tamen, quia *Certiſſimum ſit, eſſe hunc ſignificatum in Scriptura infrequentiorem* (contra Cl. Coccejus; *Pro dialecto SÆPE dicitur*) & *Scriptores Sacros conſueviſſe Sermonis Dialectum per* לשון *exprimere, idque vocabulum hic non reperiatur, ubi nihilominus de Linguarum idiomatis quam maxime agi judicent* Interpretes, *merito ſe dubitare* putat, *an hic* tamen שפה *per Idioma ſeu Dialectum ſit exponendum*, quia cenſet *Spiritum S. tali hic uſurum vocabulo, quod quam propriiſſime Dialectum exprimat, ſi voluiſſet, uti Confuſionem Dialectorum hic factam intelligeremus. Græcos quoque conſtanter* γλῶσσα *vel* διάλεκτος, *nunquam vero* τὸ χεῖλος, *quod ſciat, hoc in caſu uſurpare* ait, *& ſequi hunc loquendi modum Apoſtolum* I. Cor. XIV. *ubi affine argumentum de Linguarum varietatis uſu pertractet*, ac λαλεῖν γλώσσαις & ſimilia, non vero χείλεσι, dicat. At vero idem Apoſtolus in eadem Epiſtola, & eodem Capite §. 21. ὅτι ἐν ἑτερογλώσσοις καὶ ἐν χείλεσιν ἑτέροις λαλήσω τῷ λαῷ τούτῳ. Quicquamne diſertius in contrarium haberi poteſt?

Quod vero ad ſignificatum vocis שפה hoc in Geneſeos loco, certum utique & probatum clariſſime, ea æque, ac voce לשון ſignificari *ſermonis dialectum*; atque adeo heic tum Chaldæi Paraphraſtæ, tum Doctiſſimi Rabbinorum exponunt eam vo-

vocem per alteram illam לישן / לישן / utriusque promiscuam & eandem esse significationem ita declarantes. Porro autem incassum sane postulatur, adhibendum heic maxime *vocabulum, quod distinctum idioma & sermonis dialectum quam propriissime exprimat*, quum nulla dum exstiterint diversa & singulis propria gentium idiomata, sicut nequedum separatæ fuerunt ipsæ Gentes. Neque ergo requirebantur vocabula diversitatem illam tantopere denotantia. Simpliciter enim istic dicitur, & dicendum erat, fuisse omnibus tunc Hominibus unam adhuc eandemque loquelam, unumque eorundem verborum ad singula rerum designanda usum, eam vero loquelam mox a Deo confusam; ut alter alterum non intelligeret, & sic Homines ad secessionem adactos. Qua occasione exorta sunt demum distincta Populorum idiomata, & variæ sermonis dialecti.

Quæ hic disputavi, secius accepit Vir Clarissimus, atque ideo in repetita suarum *Observationum Editione* longam satis querelam cum *indignatione* quadam adjecit. Incusat me, quod *ex prima Editione tam sollicite in lucem protraxerim, quod istic minus accurate ab se scriptum fuerat, quum ipse in secunda id emendasset, vel accuratius expres-*

 sisset.

fisset. Fateor equidem recte hoc reprehendi, si actum id a me fuisset, ut eruerem & exagitarem errorem qualemcunque ab ipso postea jam emendatum. At vero non ita emendaverat eum, ut non retineret hoc ipso in loco, quem ex illo errore interpretatur plane contra meam & *receptissimam*, ut ipse ait, *expositionem.* Quum ergo etiamdum traderet, vocem שפה *Labium* notare in hac Historia non *Linguam*, sed *Sententiam Orationis*, ac Sensum animorum, Verbis declaratum, atque adeo *Unum Labium* designare *Unitatem animorum*, *Confusionem Labii*, *Dissensionem animorum*, ostendendum utique mihi erat, ortam esse hanc, quam falsissimam puto, illius interpretationem ex eo, quod antea sensisset, vocem שפה vix ullo in loco S. Scripturæ de *Lingua* exponendam. Hunc autem errorem, quum nimis esset manifestus, & ipse in eodem Libro locum paulo post attulisset, ubi ex sua ipsius sententia *Linguam* ea vox notaret, abjecisse eum quidem, vel potius mitigavisse, sed tamen in hoc Geneseos loco, qui inter nos controversus est, neutiquam repudiasse, haud dubie, quia sententiam mutare aut prorsus inducere, nimis existimabat indecorum.

Queritur dein, quod, quum etiam in

Ed.

Ed. ſecunda Certiſſimum declaret, in hac voce iſtum *Linguæ ſignificatum eſſe in Scriptura infrequentiorem*, breviter in parentheſi appoſuerim Coccejum contra tradere, id *Sæpe* ea voce ſignificari. Hoc vero refutaturus, quod pace Viri docti dixerim, aſtute videtur agere. Etenim Vocem hanc שפה *plus quam centies & ſeptuagies* ait *occurrere in Scriptura, nec plura ſe obſervaſſe quam quinque loca, quæ noſtræ ſignificationi faveant:* inde jam abſolvit me, rogitans, Uter ergo curatius egerit, *an qui vocabulum hoc* Sæpe, *an qui* Infrequentius *illo venire ſignificatu dixerit?* Aſt Vox illa notat paſſim primo *Labium oris*, deinde omnes alicujus rei, patulæ in primis, *margines*, veluti *ripas* fluminum, *littora* maris, alveorum & poculorum *ambitus extremos*, &c. Omnia hæc loca, quæ ſunt frequentiſſima, ex hoc numero fuiſſent eximenda, & tantum computanda hic pauca illa, in quibus ea vox de *Sermone*, ſive jam ad naturalem ejus materiam & formam, quæ in ſonitu literarum, ſyllabarum, & verborum cujuscunque Linguæ conſiſtunt, ſive ad ejus ſenſum referatur, reperiretur poſita. Sic frequens ſatis in illa paucitate deprehendetur hujus vocis uſus in ſignificatu *Linguæ* aut *pronunciationis*. Et quid fluctuamus? quum *certiſſimum* vere ſit, vo-

 cem

cem hanc, quia Labia ſunt naturalia inſtrumenta loquendi, non cogitandi, & partes corporis, non animi, notare itaque prius, & propius, & naturalius ipſum *oris Sermonem*, ſeu *pronunciationem*, at longiore demum circuitione & metaphora *ſententiam* ejus. Non diſtinguit ſatis Vir Doctus inter Sermonem certæ Linguæ, veluti Hebraicæ, Græcæ &c. et Sermonem naturalis locutionis qualicunque Lingua. Nec enim nos volumus, ut שפה hic notet certum *idioma*, ut ait, quum nondum exſtaret tunc diverſus Sermo aut Lingua in Orbe terrarum, ſed ſenſus eſt, quod omnis Terra uſa fuerit pronunciatione oris eadem, & verbis iisdem, ſeu quod ſermo, qui ex omnium Hominum ore audiebatur, erat unus & idem, quod ad formam & materiam, ſed qui dein variis mutationibus paulatim in diverſas ac ſingulis fere Gentibus proprias abiit Linguas, ſeu Formas. Sic quando Moſes ait Exodi VI. 12. *ſe eſſe non circumciſum Labiis*, nihil aliud utique id notat, quam ſe difficulter proloqui verba, non hujus aut illius, ſed cujuscunque, ſive Linguæ, ſive Senſus. Hæc prima & præcipua eſt Vocis ſignificatio, quando ad Sermonem denotandum adhibetur, atque adeo ubi nulla additur deſcriptio ſermonis, ut qui

ſit

ſit bonus vel malus, verus vel falſus &c. manendum plerumque tunc in prima illa ſignificatione, aut ei proxima, quæ eſt certæ Linguæ. Sed &, ut ad controverſum locum redeamus, quid quæſo discriminis eſt inter *Labium Canaanis*, quod ipſe per Linguam ſeu Dialectum exponit, & *Labium primorum Hominum*, ſeu Noachidarum? Sicuti omnibus Cananæis recte diceretur *unum fuiſſe Labium*, h. e. Lingua, ſic omnibus Noachidis in unam adhuc familiam & regionem conjunctis quidni eodem ſenſu dicatur fuiſſe *unum Labium*, in primis in tali Loco & Hiſtoria, in qua Deus dicitur mox *confudiſſe eorum Labium*, *ne alter alterum intelligeret*, & in qua porro agitur de *Diſperſione* illorum ex una Familia, Populo, Regione in varias minores Familias, Populos, Regiones; unde, ut ipſe fatetur, neceſſario mox illa *Linguarum & Dialectorum* diverſitas fuit orta.

Tuetur denique ſuam ſententiam etiam argumento ex Græca Lingua petito, ubi itidem χεῖλος *Labium* non notet *Dialectum*, aut *Linguam*. Sed res profecto mira, Viros Doctiſſimos ac limato ſatis judicio præditos uti argumentis, quæ, ſi qua illis ineſſet vis, æque, immo magis, ſuam ipſorum, quam adverſariorum oppugnarent

rent ſententiam. Debuiſſet certe V. C. vel non protuliſſe inane hoc argumentum, vel oſtendiſſe ſaltem, Græcos vocem *Labii* ad *Senſum Orationis* deſignandum uſurpare ſolitos, quem in uſum Moſen hic & Hebræos eam paſſim adhibuiſſe cenſet. Multus eſt in eo, ut conferat ex Novo Teſt. quod Paulus jubet Fideles τὸ αὐτὸ λέγειν [a] & φρονεῖν [b], quod in *Actis* [c] tribuitur illis καρδία καὶ ψυχὴ μία. At ubi χεῖλος ἓν, de conſenſu, ubi χεῖλος ἕτερον de diſſenſu? Nuſquam, at de Lingua tamen Ego uſurpaſſe eum Vocem χεῖλος oſtendi. Id vero *vix ſine indignatione legere potuit* ſibi repoſitum, quia non Pauli illa, ſed Eſaiæ ſint verba, in quibus vertendis Paulus *imitatus ſit ſtylum LXX. Interpretum.* At vero Paulus nullum hic ſecutus Interpretem, liberrime & ſuis Græcæ Linguæ Verbis expreſſit Eſaiæ ſententiam, nec veritus eſt, dicere ἐν χείλεσιν ἑτέροις λαλεῖν, h. e. *aliena Lingua loqui*: immo videtur, ſi ordinem verborum ipſius & Eſaiæ ſpectemus, non tam vocem שפה *Labium*, quam לשון *Linguam*, vertiſſe per χεῖλος, ſiquidem verba Eſaiæ בלעגי שפה ובלשון אחרת tranſtulit ἐν ἑτερογλώσσοις καὶ ἐν χείλεσιν

a I. *Epiſt. ad Corinth.* I. 10.
b *Ep. ad Rom.* XII. 16. & ſaepe alibi.
c IV. 32.

λεσιν ἑτέροις. Neque id ſtatuere abſonum foret, ſiquidem & LXX. vocem שפה *Labium*, in hoc Geneſeos loco vertunt modo per χεῖλος, modo per γλῶσσαν, modo per φωνὴν, ſicuti in Hebræa ſæpius שפה & לשון *Labium* & *Lingua*, tanquam ejusdem ſignificationis vocabula, ut pariter ſunt locutionis organa, conjunguntur.

Ex hac autem præcipua phraſi, in hunc ſenſum explicita, & ita quinquies in paucis his verſibus obvia, conſtituenda quoque eſt alterius & conjunctæ, ſed quæ ſemel tantum occurrit, locutionis interpretatio, *Unorum* ſcilicet *Verborum*, דברים אחדים. Nam ſicuti omnis Terra ante diſperſionem fuit *Labii* ſeu *loquelæ unius*, ſic *unis* iisdemque *verbis* in communi illa omnium loquela ad res quasque denotandas debuit uti. Sic plane Pſalm. XIX. 4. de Cœlis, qui dicuntur enarrare gloriam Dei, & tamen אין אמר ואין דברים בלי נשמע קולם *non eſt ſermo*, *nec ſunt Verba illis*, *non auditur vox eorum*. Manifeſte hic τὸ דברים ponitur pro *verbis* ipſis, quibus utimur in loquendo & narrando, quorumque *vox* & *ſonus* auditur, ſicuti ipſa Radix ſimpliciter *Loqui*, h. e. Verbis quibusdam in qualemcunque ſermonem conjunctis uti, paſſim ſignificat. Philo Hebraica ſic reddi-

didit, γῆν εἶναι πᾶσαν χεῖλος ἓν καὶ φωνὴν μίαν, h. e. *sermonem, qui auribus* proprie *percipitur*, fuisse ejusdem generis, seu *unarum* earundemque *vocum*. Sic paulo post ex ipsis LXX. Interpretibus, *confundamus Linguam eorum, ne intelligant quisque proximi sui* τὴν φωνὴν, h. e. *vocem*, quam quis loquendo edit. Certe nihil prorsus, in tota hac & brevi adeo Historia, vel verbulo innuitur aut memoratur de perpetuo quodam consiliorum inter illos Homines consensu, aut earundem opinionum sermonumve in rebus divinis concordia. Contra omnia communionem unius Linguæ, & ejus mutuum inter Homines intellectum clarissime denotant. Quo pertinet phrasis: *Confundamus labium eorum, ne* ישמעו איש שפת רעהו *intelligant quisque labium proximi sui*, h. e. ut ipse Coccejus, *faciamus, ut loqui inter se amplius non possint, ut ita impediatur ista dominatio.* שמע enim quando ita simpliciter construitur cum Nomine Substantivo, quod quasi regit, nulla intercedente præpositione aut particula, significat maxime, vel simpliciter *audire*, vel etiam *percipere* & *intelligere*. At quando *obsequi & assentiri* notat, & habet junctum sibi substantivum, intercedit tunc pene semper vel ב/ vel ל/ vel particula אל. Dixeram *pene*;
&

& ideo Vir. Cl. quem modo ad partes vocare debui, hoc quoque oppugnans, incassum profecto duo tantum loca invenit & opposuit, in quibus *irrisor* dicitur *non audire increpationem*, & *Deus non audire vanitatem*, quæ tamen ipsa vertere etiam simplice *audiendi* sensu possis, ut *audiens non audiat*, vel *ita audiat, quasi non audiat*. Sed quid opus his? *Audire labium alterius*, Scripturæ phrasi notat vel simpliciter *audire*, vel *intelligere*, linguam aut verba alterius. Sic Psalm. LXXXI. 6. שפת לא ידעתי אשמע *Labium* (Linguam) *quod non intellexi audivi*. Et Esaiæ XXXIII. 19. עמקי שפה משמוע / *profundi, difficiles labio* (pronunciatione) *ut intelligi non possint*.

Paraphrastæ quidem hisce duabus locutionibus *Labii unius*, & *Verborum eorundem*, addunt tertiam *Consilii unius*, sed respiciunt certissime singulare illud & memoratum hic illorum Hominum Consilium, quod ad impediendam, quam metuebant, dispersionem pariter iniisse traduntur, quem in modum ipsi quoque Judæi illam *Consilii unius* locutionem interpretantur. Neque vero ulla ex parte vel minimum liquet, propositum id Mosi, ut ostendat, quomodo Homines ex constanti hactenus concordia & consensu opinionum

num & sermonum in sententiarum divortia abierint, sed id solum, quomodo ex conjuncta in unum Locum habitatione, & unius Sermonis usu, distracti sint in diversa Terrarum & Linguarum, ut jam sæpe diximus.

CAP. X.

Consilia Noachidarum in terra Sinear. Non voluerunt oppugnare Cælum aut Deum. Unice id egerunt, ne dispergerentur. *Verbum* פוץ *etiam voluntariam & fortuitam, quæ sensim fit*, dispersionem *notat*. Dispersio *hæc fuit Corporum, non Animorum. Ad eam evitandam exstruere sibi Urbem & Turrim, & facere sibi* Sêm *voluerunt. Magna in eo nexu difficultas adegit* Græcos, *ut aliter hæc, quam debuerant, verterent.* Nomen quæsitum *est res ab hoc loco & nexu plane aliena. Similiter inanis* Gloria *ex re nullius utilitatis & maximi laboris in primis Hominibus*

bus non debet statui. Calvini *interpretatio voculæ* פן *rejicitur. Supplementa Aliorum confutantur.* Cocceji *sententia examinatur.* Clerici *crisis & expositio exploditur.*

CONSEQUENS nunc est, ut exponamus, quid illi Homines, qui ita conjuncti venerunt in Terram Sinear, & ibi pariter consederunt, quique una adhuc loquebantur omnes Lingua, istic susceperint & fecerint. Hoc vero quia præcipua laborat difficultate, quæ in illa potissimum phrasi, *faciamus nobis Sêm*, inest, videndum prius, quid Homines suscipiendo illo opere spectaverint, seu qua causa, & quo fine sibi proposito, consilium illud tantæ molis, nempe Urbis & Turris ædificandæ, atque ita faciendi sibi *Sêm*, inierint. Unicum hoc illos curavisse, & tanta re aggredienda voluisse cavere, *ne dispergerentur in superficiem omnis Terræ*, diserte tradit Scriptura. Nam quod Josephus ait[a], cœptam consilio Nimrodi Turrim quasi *contra Deum*, si forte *novum hominibus immittere vellet diluvium*, atque idcirco *excelsiorem, quam quo aqua adscendere*

[a] *Lib.* I. *Antiquit. cap.* 5.

dere posset; simul *etiam ut ulciscerentur necem majorum*; non modo alienum plane a S. Scriptura, sed & nimis quam ineptum est & ridiculum. Quid enim, ut alia a Pererio contra hanc rationem notata prætermittam, stolidius aut magis absonum fingi potest & excogitari, quam in mentem venisse Hominibus, ut contra Deum, cujus immensam & extraordinariam potentiam, immissa præter solitum naturæ ordinem immodica aquarum vi & eluvione, senserant atque etiamnum hoc suo metu agnoscebant, cujus Ignem, seu

Fulgura, & humanas motura tonitrua mentes,

identidem videbant & audiebant, cujus Ventos & procellarum violentiam toties animadvertebant, contra illum tamen ita consulto ac deliberato se vellent tueri, & quasi bellum suscipere, immo eum, vindicando suorum necem, quodammodo punire. Similia tamen & alii Judæi. Vide ad *h. l.* Sal. Jarchi. At longe sapientior iis fuit Aben Ezra, qui tradit *h. l.* *Ædificatores Turris non fuisse tam stultos, ut cogitaverint ascendere in cœlum, neque timuisse denuo diluvium, quia aderant istic Noachus & Filii ejus, quibus juraverit Deus*, scil. se non immissurum denuo Diluvium in Terram. Vide Genes. IX. 11. &c.

Sed

Sed & ejusdem Judaica illa ſunt indolis, cujus notiſſima apud Græcos Fabula de Gigantibus, qui congeſtis in altiſſimum faſtigium montibus cœlum voluerint oppugnare, & Deos bello aggredi: derivata haud dubie ex illis Judaicæ hujus Fabulæ fontibus. Nam & Celſus Epicureus jam olim hanc Turris Hiſtoriam contulit cum illa ipſa Aloidarum ſeu Gigantum Fabula. Vide Origenem *contra Celſum lib.* IV. *p.* 174. & Sibylla apud Joſephum, de hisce primis Hominibus, πύργον ᾠκοδόμησαν ὑψηλότατον, ὡς δὶ αὐτȣ̃ ἀναβησόμενοι ἐπὶ τὸν ȣ̓ρανόν, *Turrim exſtruxerunt altiſſimam, tanquam aſcenſuri per eam in ipſum cœlum.* Sed recte Philo *p. m.* 342. de hac Turri, γῆς ὁτιȣ̃ν μέρος ἀμήχανον ȣ̓ρανοῦ ψαῦσαι, h. e. *quantacunque tandem pars Terræ nulla ratione poteſt cœlum attingere.* Verum ortæ hæ ſunt Fabellæ atque ineptiæ ex præcepta quadam opinione infandi criminis per exſtruendam hanc Turrim admiſſi, quod quia Moſes ipſe non exprimit, & quod tamen præjudicio quodam jam olim Interpretes omni modo latere in hoc facto autumabant, tanto liberius illi conjecturis ſuis indulſerunt, & ita tam abſurdam & infamem rebellionem, vel potius inſaniam, nobis ſunt commenti.

 Uni-

Unicum ergo est, quod sibi curæ cordique habuerunt in Terra Sinear juxta Mosen, *ne* ex ea *dispergerentur in reliqua Terrarum*, h. e. ne quocunque casu ab se invicem imprudentes & inviti divellerentur, separarentur, aut aberrarent in solitudines. Hebræum enim פוץ non tantum violentam, sed etiam fortuitam, immo voluntariam *dispersionem* notat. Sic in proximis superioribus Capitibus, Genes. IX. 19. *Hi sunt tres filii Noachi*, ומאלה נפצה כל הארץ *& ab illis est Omnis Terra* in varias Gentes & Regiones *dispersa*, *divisa*, seu *Ab illis* orta, *ab se invicem discessit & se diffudit* in diversas Regiones *Omnis Terra*. & X. 18. postquam enumerasset XI. Filios Canaanis, addit, ואחר נפצו משפחות הכנעני / *& postea*, ortæ ex his, *Familiæ Cananæorum diffusæ sunt*, vel *disperserunt sese*, in latissimum videlicet & amplissimum terrarum tractum, cujus fines ex professo seq. §. exponuntur. Sic Proverb. V. 16. יפצו מעינתיך חוצה *spargant se fontes tui foras*. Et Zachar. I. 17. עוד תפוצנה ערי מטוב *Adhucdum se diffundent Urbes meæ propter bonum*. 2. Sam. XVIII. 8. ותהי שם המלחמה נפוצת על פני כל הארץ / *fuit istic prælium illud diffusum per superficiem totius illius terræ* vel *agri*. Denique I. Sam. XIII. 8. ויפץ העם מעליו *dis-*

diſperſit ſe, *discesſit*, *dilapſus eſt Populus ab iis*. Et §. 11. *quia vidi*, כי נפץ העם מעלי/ *quod dilaberetur populus a me*, ubi manifeſte ad notandam voluntariam, & quæ ſenſim ac ſingulatim fit, non ſubitam, violentam, coactam, hominum diſperſionem adhibetur. Id quod oſtendere pluribus volui, ut ita liqueret, quando Homines hic dicunt, *excitemus Urbem & Turrim*, & *Sêm*, *ne diſpergamur*, intelligendam eſſe, non omnino violentam & neceſſariam, quod nonnulli putabant, ſed fortuitam, talemve diſperſionem, quam *faciendo ſibi Sêm*, cavere & impedire ſe poſſe credebant, licet mox, quando *Deus eos diſperſiſſe* dicitur, etiam necopina & neceſſaria ſeceſſio deſignetur.

Ceterum nullam hic aliam intelligo *diſperſionem*, niſi Corporum, ſeu ipſorum Hominum, ex uno Loco in varias Regiones, & ex uno Populo in diverſos: neutiquam ullius Animorum aut Opinionum divortii. Idque conſtare arbitror ex iisdem rationibus, quibus antea *Unum Labium* & *Una verba* explicanda ſimpliciter per communionem Unius Linguæ, qua omnes pariter ante hanc diſperſionem utebantur, oſtendere ſtudui, petitis maxime a Conſilio Moſis, Hiſtoriæ Nexu cum ſuperioribus, & ejus ipſius Narra-

tione, per ſuas Locutiones & Circumſtantias conſiderata, denique Hominum tunc viventium certa Habitationis, ſed neutiquam veriſimili jam ante hanc diſperſionem Animorum per omnia, conjunctione. Et nonnulla quidem eorum, quæ iſtic attuli, majorem hic habent & certiorem vim ac evidentiam. Nam quia Moſes hac Hiſtoriæ lacinia veluti uberiorem rationem reddit, & occaſionem factumque ipſum exponit, Rei ſuperiori Capite identidem quaſi verbo jam deſignatæ, non eſt dubium, quin una eademque res utrobique eodem prorſus modo per eadem, aut ſimilia, ejuſdem tamen ſignificationis, verba denotetur. Atque adeo, quia in ſuperiori Capite, & ultimo plane §. proxime ante hanc Hiſtoriam dixit Moſes, *ex familiis Filiorum Noachi* prodiiſſe *ſeparatas* (נפרדו) *Gentes in Terra poſt diluvium:* Similiter §. 5. eodem vocabulo ait, *ex Filiis Japheti ſeparatas* exſtitiſſe *Gentes inſularum*, vel *ejus Filios ſeparatos, diſperſos, in inſulas Gentium*; & §. 25. de Phalego, *ejus diebus diviſa eſt* נפלגה *Terra*; immo §. 18. hoc ipſum vocabulum פוץ/ verbis modo laudatis, *Diſperſæ ſunt*, vel *diſperſerunt ſeſe Familiæ Canaanis:* eaque omnia certiſſime ſignificant ipſam Hominum unius Familiæ *diſperſionem &*

ſe-

ſeceſſionem in varias terras & populos; idcirco æque certum arbitror, hoc quoque Capite, & in illo Hominum Conſilio, ejusque eventu, eandem plane, neque ullam aliam, deſignari *diſperſionem*.

Sed & ipſæ rei Circumſtantiæ, adhibitæque Locutiones, clariſſime idem illud probant & demonſtrant. Nam quid tandem exſtructio veræ Urbis, & veræ Turris, quas vere exſtrui coeptas in confeſſo eſt apud omnes, facere & conducere potuit ad impediendam diſperſionem ſeu diſtractionem animorum & opinionum in re ſive divina ſive politica? Multum autem potuiſſe ad inhibendam ipſorum Hominum fortuitam in diverſa Loca diſperſionem, oſtendemus in ſequentibus. Deinde vero, quando Deus dicitur bis illos Homines, per & poſt immiſſam iis Labii confuſionem, *diſperſiſſe*, h. e. adegiſſe ad ſecedendum ab ſe invicem, משם *EX ILLO LOCO*, על פני כל הארץ *in ſuperficiem totius terræ*, nonne manifeſte prorſus & citra omnem dubitationis aleam liquet, loqui Moſen de vera & tali Hominum *diſperſione*, quæ fit *ex uno & certo Loco*, in quo conjuncti prius una agebant, in varias *reliquæ Terræ* partes?

Hac *disperſione* iſtis rationibus clariſſime, niſi valde fallor, talem in modum demonſtrata, & cognito jam fine unico, quem ſuo operi & conſilio propoſuerunt Homines terræ Sinear, munitam deinceps habebimus quaſi viam ad inveſtigandum tanto facilius ipſum illorum Factum, ejusque Rationem. Voluerunt itaque exſtruere ſibi Urbem & Turrim, & facere ſibi *Sêm*, *ne*, quo dictum eſt modo, *diſpergerentur* per reliqua terrarum. In Urbe & Turri nulla prorſus hæret difficultas, ſiquidem talem & iſtius nominis Urbem, inque ea Turrim celſiſſimam, revera etiam longo tempore poſt exſtitiſſe in terra Sinear, notum eſt, & ſic ſatis probatum a Viris Eruditis. Vide Bochartum *Phalegi* I.*cap*. 9. & 13. Sed ſumma ineſt in eo, quæ ſit ratio & vis connexionis in exſtruenda Urbe & Turri ad obviam ea re eundum tali diſperſioni, & maxime inſuper, quid ſibi velit illud, *Faciamus nobis Sêm* (*Nomen*) *ne diſpergamur*. Certe tanta hæc Græcis Interpretibus viſa fuit difficultas, ut propterea n dum hunc, quia ſolvere non poterant, maluerint gladio ſecare, pro eo, quod in Hebraico eſt textu, פן נפוץ / *Ne diſpergamur*, reddentes, πρὸ τȢ διασπαρῆναι ἡμᾶς, *Antequam diſpergamur*; quam verſionem ſecuti ſunt Philo

lo Judæus, tum Vulgatus Interpres, & Chriſtiani Patres, qui Græca magis legebant & intelligebant, quam Hebræa: atque inde potiſſimum nobis teſtamentariam diviſionem terræ, factam a Noacho inter tres Filios eorumque familias ante hanc diſperſionem, extuderunt. Verum iſta quidem vis eſt, non juſta interpretandi ratio; ſed & certo ſimul indicio id eſt, quam nullus illis ſane viſus ſit in Vulgata interpretatione & rei connexione commodus & rectus ineſſe ſenſus.

Et amabo, quid aut quale intelligetur *Nomen*, quod idoneum ſit ad cavendam talem *diſperſionem* Hominum tunc Viventium ex terra Sinear in alias Regiones, qualem hic neceſſario intelligendam ſupra probavimus? An *Nominis Fama, & Gloria?* Sed hæc concipi nequit, niſi per & apud Alios exiſtat. Qui vero præter hosce Homines erant *Alii*, apud quos *ſibi Nomen facerent?* An *Alii* tunc viventes, an eorum ipſorum *Poſteri?* Utrumcunque eligas, in eodem luto hærebis. Nam præter hosce, qui fuerunt *Omnis Terra*, nulli *Alii* tunc erant. Apud *Poſteros* vero invalitura olim ſui *Nominis Fama* quid obſecro conferre poterat ad id, ne ipſi TUNC ex regione Sinear in diverſa terrarum diſpergerentur? Dein ſi iſta re quæ-

ſiviſſent ſibi *Nomen* apud *poſteros*, tunc ſane id unum viderentur egiſſe vel ſpectaſſe, ut poſteris ſuis relinquerent duraturum ſuæ induſtriæ & laboris exemplum ac monumentum, ex quo liqueat, quam non torpuerint otio, nec ſe dederint ſegnitiæ aut ignaviæ, ſed aliquid, licet ſibi id eſſet infructuoſum & inutile, egerint tamen potius, quam nihil. Hoc autem, tantum abeſt, ut credam Deum tanquam rem malam inhibiturum, ut potius putem, ſua benignitate & favore tanquam rem laudabilem proſecuturum.

Sed & ſicuti nulla omnino, qualiscunque tandem *Fama*, ſive apud Alios, qui tunc exſtitiſſent, ſive apud Poſteros, impedire poterat talem, quam metuebant, ſeu fortuito, ſeu quo alio caſu, ſibi tunc temporis eventuram diſperſionem, ſic neutiquam exiſtimandum eſt, Homines illos, adeo adhuc ſimplices & rudes, vaniſſimo ſolius *famæ & gloriæ* ſtudio, in illis rerum initiis, tantæ molis opus, altiſſimæ Turris exſtructionem, incaſſum ſibi & temere ſuscepiſſe. Hoc qui credere, re bene perpenſa, poteſt, næ is facile fidem abſurdiſſimis quibusque habere poterit, & genuinam primi temporis ignorat plane indolem aut Hiſtoriam. Nam Hæc ſimul, & Ratio ipſa, clariſſime nos do-

docent, omnium rerum & artium initia fuiſſe prorſus tenuia ac rudia, neceſſaria ad uſum vix cognita tunc aut parata, at ornamenta ſerius longe inventa aut quæſita, nedum ut cujusquam in mentem tunc facile venerit, opus nullius prorſus ſibi utilitatis, & maximi ſimul ac longiſſimi laboris, aggredi. Vere Ariſtoteles in *Politicis* VII. 10. Τὰ μὲν γὰρ ἀναγκαῖα τὴν χρείαν διδάσκειν εἰκὸς αὐτὴν, τὰ δ' εἰς εὐσχημοσύνην καὶ περιουσίαν, ὑπαρχόντων ἤδη τούτων, εὔλογον λαμβάνειν τὴν αὔξησιν. *Probabile, ipſam utilitatem docuiſſe neceſſaria, at quæ ad ornatum & abundantiam pertinent, illis jam exiſtentibus, acceſſiſſe, rationi eſt conveniens.* Ceterum illud ipſum etiam contra Græcam Latinamque verſionem, Judæos Helleniſtas, & Chriſtianos Patres, eſt obſervandum, qui tradunt pariter, hosce Noachidas voluiſſe in terra Sinear *ſuæ iſtic habitationis Monumentum* & *Nomen* relinquere, *antequam* ex præcepto vel prædictione Noachi ex eo Loco in alias orbis terrarum partes a Deo *diſpergerentur*, aut ab ſe invicem diſcedere cogerentur. Nam longe adhuc abſurdius eſt creditu, eos, ſiquidem præviderent, aut ſcirent, ſe, vel omnes pariter, vel multo maximam partem, ex eo Loco in alia diſperſum iri, aut quoque modo abituros, tamen iſtic, ubi

ubi nec ipſi nec poſteri eorum eſſent deinceps ergo habitaturi, aggreſſos tantæ molis & moleſtiæ opus, propter rem nihili, ſeu tantum, ad ſervandam, tam operoſa & inutili ceteroqui ſtructura, *conjunctæ iſtic habitationis* memoriam. Eam utique qualicunque alia, magis obvia & facili, ratione prodere poſteritati ſuæ poterant, ſicuti comperimus eam ipſam omnium in terra Sinear Habitationem longa & vetuſta traditione perveniſſe etiam ad Populos & Scriptores, qui Babyloniam & iſtam Turrim nunquam oculis ſuis uſurparunt. Sui autem *Nominis* & Vitæ ſolius memoriam nulla re rectius propagare ad poſteros poterant, quam ſequendo ſimpliciter Naturæ ductum, & generando Sobolem, ſicuti multis declaravi in *Diſſertat. Triade* ad Legem Deuter. xxv. ubi Frater defuncto Fratri jubetur ſuſcitare prolem, *ne Defuncti Nomen deleatur ex Iſraële*, quod proinde ſervari ſola poterat ac debebat Sobolis ſucceſſione. Id vero tanto magis hic conſiderandum, quoniam in hoc *Nomine* ſibi apud Poſteros tali ſtructura comparando, nihil juſta ratione inveniri aut ſtatui poteſt præter vel Inaniſſimum, ſi cum tam difficili opere comparetur, ſui tantum Nominis & Vitæ olim iſtic actæ memoriam ſervandi, vel Laudabile, induſtriæ

ſtriæ a nullo labore abhorrentis exemplum poſteris relinquendi, Studium.

Nam *Gloria* inaniſſimum item in modum tanto labore quæſita, quam tamen pene omnes Interpretes hic memorant, prorſus aliena eſt ab hujus ædificationis Hiſtoria, ſiquidem ea unice conſiſtit in excellentia quadam Unius ſupra Alium. Jam autem Gloria ex hoc facto oritura, ſi quæ eſſet, non fuiſſet Unius aut Alterius vel Hominis vel Familiæ propria, ſed Omnium, qui tunc vivebant, communis, atque ideo neque ad hanc vel illam ſeparatim, ſed ad omnem omnium poſteritatem communiter perventura. Fuiſſet ergo, ſi recte rem perpendas, nulla plane, quia nullorum ſeorſim, neque illo, quo Turris exſtructa eſt, neque ſequenti tempore. Sed & fuerint primi hi Homines quantumvis impii, fuerint libidini ſuæ & affectibus dediti, vitiis etiam quibuslibet cooperti, tamen tanto eos *Gloriæ* ſtudio jam tunc flagraviſſe, ut propterea tam gravem & tam diuturnum in ſe laborem, ſine ullo, quem inde ipſi in præſentia conſequerentur, uſu aut commodo, ſuſciperent, ab omni veri ſpecie penitus, ut dixi, abhorret. Præterea prorſus putem eos, qui conatum illum primorum Hominum ad *Gloriam*, vel *Superbiam*, vel *Pom-*

Pompam, *&* *Oſtentationem*, vel *Ornamentum ſuæ Urbis*, referunt, magis ita loqui ex more ſui temporis, quam indole Hominum in univerſum, aut Vita iſtorum Noachidarum ſeorſim, ſatis conſiderata. Nam etiam nunc, qui affectuum ſuorum, ventris, & gulæ, ſunt mancipia, inertiæ potius & ignaviæ ſe dedunt, quam ut laborioſam ſectentur *Gloriam*. Dein Noachidæ iſti nulla utique habebant talium *Ornamentorum*, vel *Gloriæ* ſimili modo quæſitæ, exempla, quæ ſequerentur: neque vero ipſi in ſuſcipiendo tam diutino exſtruendæ tantæ Turris labore (unde naturaliter non ſequitur *Gloria*, niſi ſi moribus ſæculi & inconſulta hominum opinione res forte fortuna in conſuetudinem publicam invaluerit) videntur inane quid & ſibi prorſus inutile ſpectaviſſe aut curaviſſe, quum ne ipſi quidem commode ſatis ſub tectis ædium, ſed ſub tentoriis, ſinguli adhuc habitarent, ut videbimus deinceps. Denique etiam hodie rariſſimæ profecto Turres, certe ſolius Gloriæ ſtudio, exſtruerentur, ſi vel ipſi, quorum voluntate ſive auctoritate exſtruuntur, manus iis quotidie admovere deberent, vel illi, qui manus admovent, nullam ex ea re laboris ſui mercedem perciperent aut exſpectarent, ſuique ſimul

mul juris & arbitrii essent, licet Horum tamen Temporum homines, multis jam aliorum exemplis incitatos, talia Urbium suarum ornamenta, inani quodam æmulationis vel conspicuæ supra alios excellentiæ studio, sic satis desiderare aliquando largiar. Ast antiquissimis illis temporibus Homines, sine ullo suo usu aut fructu vero, tale quid excogitasse ac suscepisse nullam prorsus habet veri speciem, ut jam supra *p.* 235. diximus.

Sic satis superque jugulatam arbitror præcipuam & vulgatissimam *Nominis*, *Famæ*, & *Gloriæ* per hanc ædificationem apud posteros quæsitæ interpretationem, etiam absque illa connexione cum re præsentis tunc Temporis, *Ne dispergerentur*, consideratam: cum qua tamen re, licet eam Moses unice ab illis hominibus spectatam tunc curatamque tradat, nullo etiam modo, ut jam docui, conciliari potest. Quapropter obliteratam quoque & extinctam plane voluerunt illam connexionem, qui suo arbitratu ita manifeste contra veram Hebraici textus sententiam interpretabantur, *antequam dispergamur*. Recte enim monet Vir Magnus, Joh. Calvinus, *non pati id proprietatem Linguæ*. Sed neque magis ea patitur sensum, quem ipse his verbis tribuit, *Quamvis*, vel, quem

quem Eugubinus, *si forte, dispergamur.* Vocula enim פֶּן, quæ heic occurrit, *non dubitationem*, sed *intentionem præcavendi mali notat*, uti exemplis compluribus probat Vir harum literarum peritissimus Joh. Coccejus. Taceo jam frigidam plane & inconcinnam in his inesse sententiam, *Excitemus Urbem & Turrim altissimam, & faciamus nobis Nomen, quamvis*, vel *si forte, ex hac regione simus dispergendi*, quasi dicerent, quamvis, vel si forte, neque Nos, neque Posteri ullum tantæ operæ pretium aut fructum simus habituri. Denique confutatur etiam hæc interpretatio omnibus iis rationibus, quas modo contra quæsitam exstruenda Turri inanem *gloriam*, quæ in ea quoque inest, disputavimus.

Multo etiam minus satisfaciunt paraphrasticæ interpolationes, quibus verba Mosis in quemlibet sensum flectuntur, & supplementis aliunde pro lubitu petitis adulterantur. Ejus generis est, quod Del Rio & Salianus *subaudire* se ajunt, *Maturius*, & ita *recte conciliari omnes textus*, Græcum, Latinum, & Hebraicum, autumant, ut sensus sit, *ne forte dispergamur, priusquam ullum monumentum potentiæ nostræ relinquere valeamus. Civitatem* porro *ædificatam* censent, *non ut omnibus tunc mor-*

mortalibus eſſet uſui, ſed iis, quibus ſortito hæc terræ portio contigerat, omnibus autem prodeſſet ad Nominis immortalitatem. Ratio, quam reddunt *ædificatæ Civitatis*, abunde in ſuperioribus eſt abjecta, & nititur ſola opinione Terræ a Noacho jam ante hanc diſperſionem inter Filios diviſæ, concepta ex Judæorum traditionibus, & τῷ *antequam* Græcæ Verſionis, licet de ea re nihil tradiderit Moſes, traditurus haud dubie rem tam memorabilem, ſi revera fuiſſet facta, ut oſtendemus in ſequentibus ex profeſſo. Conciliatio quoque ipſa quam dura eſt ſimul & inepta? addito extra Scripturam ſupplemento, primum, integri commatis, *priusquam &c.* dein, nullius commodi ſenſus, videlicet quaſi neceſſarium omnino fuiſſet, ut Homines in illo Loco, unde diſpergendi vel abituri certo erant, prius relinquerent monumentum *ſuæ potentiæ*, h. e. unde liqueret, quid facere poſſent, quidve humeri & manus valerent in ædificando.

Æque dura, ſed non æque inepta, eſt Epentheſis, quam hic ſtatuunt Junius & Tremellius, quos & Piſcator ſequitur, pariter vertentes, *Exſtruamus nobis Urbem & Turrim, cujus faſtigium aſſurgat in cœlum, UT faciamus nobis Nomen:* Videamus,

mus, *ne dispergamur in superficiem totius Terræ.* Scilicet existimant, duo spectasse in hac ædificatione Homines, ut sibi compararent *Gloriam*, & ut evitarent *Dispersionem.* Nam etiam in Argumento Capitis Historiam ita exponunt: *Homines cupiditate Gloriæ & Separationis metu conspirantes, Urbem Turrimque Maximam incipiunt ædificare.* Sed durissima est hæc Ellipsis, & quam nullo modo postulant neque ulla Historiæ istius verba, neque totius sententiæ nexus. Nam quid usitatius, quid magis inter se cohærens dari potest hac phrasi, *faciamus hoc, ne illud nobis eveniat?* Deinde aliter longe Moses, quam illi, ea connectit, & sine ulla quidem Ellipseos vel minima specie, hoc modo, *Ædificemus nobis Urbem & Turrim, ET faciamus nobis Sêm; NE dispergamur in superf. &c.* Priora sunt ejusdem plane constructionis, per copulam *Et*, ut solet, connexa, pariterque declarant Factum ipsum, atque idcirco etiam Accentu *Athnach* finiuntur, & distinguuntur a Postremo, quo solo Facti exponitur Finis, qui ergo unicus fuit, non duplex. Illi vero duplicem tamen statuunt, mutant commatum constructionem & nexum, divellunt quæ cohærent, & sine ulla vocula conjunctionis aut transitionis, ex abrupto,

rupto, & intercedente hiatu Elliptico, τȣ̃ *videamus*, poſtremum illud tanquam rem novam & diverſam ſubjiciunt prioribus. Verum quidem, talem Ellipſin in admonitionibus & exhortationibus locum ante *UT* vel *NE* aliquando habere; ſed omnia tunc reperiuntur magis prona & parata ad eam recipiendam, adeo ut eam etiam requirere videantur; longe ſecus, quam hic fit, ubi omnia eam repudiant. Quæ etiam cauſa, quare alii quoque Interpretes eam hic rejiciant & aſpernentur. Præterea ſi maxime illa Ellipſis ferri hic poſſet, maneret vel ſic tamen hæc quoque verſio iisdem implicita abſurdis, quibus ſupra inutilem *Gloriæ cupiditatem*, quaſi hoc opere quæſitam, impugnavi.

Sic vidimus, quomodo ſe miris modis torſerint, & in omnes partes verterint plerique Interpretes, ut ſe ex difficultatibus expedirent, quibus premitur hæc locutio, *Faciamus nobis Nomen*, *ne diſpergamur*, utque ex ea qualemcunque, qui modo ferri poſſet, elicerent ſenſum. Sed quum omnia infeliciter tentata viderentur, cenſuerunt nonnulli, & recte quidem, hærere difficultatem omnem in vocabulo *Sêm*, eoque hic non *Nominis Famam*, vanamque *Gloriam*, ſed aliud quid omnino ſignificari. Primi inter hos ſunt

 Ju-

Judæi Paraphraſtæ, aliique eorum Doctores, qui τὸ *Sêm* hic interpretantur *Idolum*, atque adeo fingunt (vide *Targum* utrumque, & *Bereſchit Rabba*, *paras.* 38.) ædificatores illos dixiſſe, *Faciamus nobis Turrim*, *& faciamus Idolum in ejus Capite*, ſeu *cacumine*, *& demus gladium in manum ejus*, *& conſpiciatur tanquam faciens nobiscum*, vel *pro nobis*, *bellum*. Scilicet in S. Scripturâ Deus Opt. Max. aliquando deſignatur, non tamen ſimpliciter per *Sêm*, ſed δεικτικῶς per *Haſſêm*, *illud Nomen*. Dein in Turris Babylonicæ, quæ poſtea exſtitit, ſumma parte, fanum fuit Beli, teſte Herodoto [a]. His ergo rationibus nititur iſta eorum interpretatio, ut & recepto illo præjudicio aperti contra Deum belli, in quo proinde uſuri eſſent Idolo tanquam Duce. Sed vana hæc eſſe commenta, quis non videat? Ipſam porro ſignificationem τοῦ *Sêm*, quam adferunt, ex Scriptura S. valide refutavit Doctiſſ. Bochartus *Phalegi* I. 14.

Sequitur nunc Celeberrimi Cocceji expoſitio, quam quia recipiunt ſane multi, non poſſumus intactam prætermittere. Decurrit ille recta ad figuratum & allegoricum ſenſum in iſta potiſſimum phraſi *faciendi Nominis*, haud dubie, quia tot prio-

a *Lib.* I. *Cap.* 181. *ſeq.*

priorum commenta minime illi satisfaciebant, nec verisimile judicabat, antiquos illos vano & superbo inutilis sibi *gloriæ*, ignotique tunc ornamenti, studio tantum opus suscepisse, neque etiam videbat, quomodo istoc opere, & per illud faciendo sibi qualicunque *Nomine*, veram suorum corporum *dispersionem* cavere potuerint, aut posse se crediderint, nec denique inveniebat alium Grammaticum, seu literalem, ut dicitur, & commodum satis sensum, qui vocabulo *Sêm* hic denotaretur. Existimavit igitur, intelligendum eo *Senatum*, *qui Doctrinæ Noachicæ depositum servaret, & in cujus Nomine in posterum loquerentur Omnes*, ut notat ad Genesin: vel simpliciter, *Auctoritatem, quam omnes deberent Nominare, & a qua omnes deberent dependere*, ad Apocal. XVIII. 5. quo consilio *Urbs*, *quam condebant*, *erat futura Metropolis totius orbis terrarum, & Caput humani generis*, ut ibidem ait: *Turris* porro, *vel Signum hujus consensus Hominum*, *vel munimentum istius Senatus*, ad Gen. XI. 5. Consequens jam hisce erat, ut *Unum Labium* & *Una verba* explicarentur per *consensum in iis*, *quæ loquebantur*, *& oportebat loqui de Deo & ejus cultu*: *Confusio Labii* & *dispersio* per *dissensum opinionum & sermonum de Deo*, & distractionem

in *populos diversa verba loquentes*, h. e. in varias Religionis sectas. Breviter eadem Cl. Heideggerus in *Hist. Patr. Exerc.* XXI. §. II. *Per Nomen commode intelligi potest celebris Senatus residens Babylone, qui custodiret depositum & traditionem Verborum, quæ tum homines, ut edocti a Noacho, pariter omnes loquebantur.*

Sed primo, quæ in hac Historia de *Labio* & *Dispersione* memorantur, de simplice & vera Linguæ unius communione Hominumque ex illo Loco in diversa terrarum Dispersione, accipienda esse, clarissime, ut arbitror, ex consilio Mosis, hujus Historiæ Nexu cum superioribus, denique Stylo in universum, & singulis proprie Locutionibus, supra demonstratum est. Et sane, si Mentio *Urbis & Turris*, *Laterum* & *Bituminis* in hoc Capite, si *Divisio terræ*, *Separatio Noachidarum in Varias Terras*, *& Linguas*, immo ipsum illud *Dispersionis* vocabulum de *Familiis Canaanis* in proximo Capite, cujus hæc Historia est veluti appendix quædam, si ista, inquam, omnia accipienda sunt proprie & Historice, ut accipiuntur ab ipsis illis Eruditis, quæ ergo ratio est, quare non etiam *Dispersio* hujus Capitis eodem modo primitus exponatur? Affirmat quidem Vir Summus ad Apocal. *d. l.*

si

ſi *Diſpergi* explicetur *discedere habitatum in univerſa terra*, id vero *temerarium* fore, ſiquidem *ſtultum fuiſſet & frivolum*, ſi illi Homines *noluiſſent in omni Loco habitare*, quum Deus ipſe per modum beneficii, Noachum & Filios allocutus, juſſerit eos *implere Terram*. Ego vero nihil *temerarii* in illa expoſitione, nihil præcipuæ cujusdam *Stultitiæ* in iſtac Hominum voluntate video. Nolebant illi ab ſe invicem avelli & ſeparari, antequam neceſſe eſſet. Oderant ſolitudines, metuebant iſtic ſibi & pecoribus ſuis incurſus ferarum. Operam itaque dederunt, ut non modo conſulto ab ſe invicem non discederent, ſed neque fortuitis caſibus imprudentes & inviti aberrarent, ut dein pluribus oſtendemus. Neque negari poteſt, Homines *Urbe & Turri* iſtic exſtruenda, quomodocunque ea accipiantur, alligaſſe Se quodam modo & ſuam habitationem *iſti Loco*, ſaltem quamdiu iſtic conjuncti vivere poterant, nec deſideraſſe adhucdum ullam ſeceſſionem ſeu diſperſionem.

Sed & velim mihi expediant Viri Eruditi, quæ quidem non frivola plane ratio tantæ jam *Sapientiæ* in eo ſit, quod ad continendos ſe in iisdem de Religione ſermonibus exſtruxerint tantæ molis lapideam Turrrim præter morem & exem-

plum iſtius Temporis. Nam ſicuti recte rogat Vir Summus, *Magna & celebris Fama quid poterat conferre ad hoc, ut manerent in uno Loco?* ſic & Ego lubens diſcere velim, quid vel maxima & altiſſima *Turris* naturaliter (nam natura rerum & ingenii Humani illis temporibus, quibus nondum invaluerant varii mores, ſpectari maxime debet) conferre potuerit ad *conſenſum animorum* & *conſtantiam opinionum de Deo* ſervandam. Sed quid multa? Non poſſunt non ipſi agnoscere hic Loci veram Hominum *Diſperſionem*. Nam certe Heideggerus poſt Exercitationem *de Turri Babel*, ſubjicit ſtatim eam *de Diſperſione Gentium*, ad quam in illius Turris ædificatione homines a Deo adactos tradit per *Confuſionem Labii*, & in qua recte ſtatuit Homines *non repente in extrema orbis climata tranſiiſſe, ſed primo viciniora appetiiſſe loca*. Similiter Coccejus monet ad Gen. XI. 9. *Diſperſionem* hanc factam *circa nativitatem Phalegi*. Et antea ad *Cap*. X. 17. *Diviſionem generis Humani, ut discederent in Familias & Populos, cœpiſſe* itidem *fieri, cum Phaleg naſceretur*. Eadem ergo eſt hæc *Diſperſio*, & illa prioris Capitis *Diviſio Terræ*, ſeu *Generis Humani*, ac *Diſceſſio* a ſe invicem *in varias Familias & Populos*, atque adeo vera Hominum *Diſperſio*.

Ce-

Ceterum si ita literaliter & proprie vera Hominum *Dispersio* ab se invicem hic est intelligenda, necessario tum quoque, non figurate, sed itidem proprie, accipiendum est τὸ *Sêm*, & ita quidem, ut significet aliquid, quod fuerit vel credi potuerit idoneum ad talem *Dispersionem* inhibendam. Relationem enim manifestam significationis inter se habent hæc duo, qualis debet & solet intercedere inter Factum & ejus Finem, quia *Facere sibi Sêm* decrerunt, tantum, *NE dispergerentur* ex terra Sinear. Præterea si tam *religiosa*, & quæ tanti essent momenti, cogitassent vel sibi proposuissent Homines, quæ obsecro causa dari potest, quare Moses nihil ejus vel verbo significasset paulo liquidius? quare nusquam hic talem *animorum consensum*, nusquam *doctrinam* illam *Noachicam*, nusquam *talem Senatum*, plane & clare memorasset, æque ac *Urbem*, *Turrim*, *Lateres* & *Bitumen*, res profecto inanes, si cum ista Doctrina & Senatu comparentur? quæ causa ita se involvendi, quum utique Historiam scriberet, non Parabolam aut Prophetiam? Certe Historicus qui intelligi vellet, quoquo modo declarasset loqui se de *Sermonibus* divinæ potius Doctrinæ, quam quarumcunque aliarum rerum, de *Nomine*

Ecclesiasticæ potius Auctoritatis, quam Politicæ, immo cujuscunque Auctoritatis & Senatus potius, quam alterius Rei. Hic vero ne γρὺ quidem occurrit, quo *Nomen* illud & illa *Verba* definiantur, ut Unum hoc urgeam, in Sacram magis & Theologicam, quam Profanam & Civilem, Societatem, Potestatem, aut Scientiam.

Sed & durius mihi semper visum, si, quod ait Vir Summus ad Apocal. *d. l. sine dubio bonum fuit, quod Patres nostri quæsiverunt, & quo Majus procurari ab homine non videtur posse, sed aberrarunt in medio* tantum, quod scil. voluerint constituere *Nomen Auctoritatis Humanæ*, quo in *verorum de rebus Divinis Sermonum* & *Doctrinæ Noachicæ* consensu continerentur omnes; Deum tamen, quod improbaret illud *Medium*, *confudisse* idcirco eorum *Labium* & ipsos *Sermones*, ac *dispersisse* eos, qui antea fuerant *Unus Populus*, *eorundem sermonum*, h. e. (ut necessario contrariorum contraria debet esse interpretatio, quo singula recte cohæreant) immisisse illis schismata, & hæreses, vel saltem effecisse invicta sui Numinis vi, ut, qui antea eadem & recta senserant, secederent in discidia & sententiarum divortia, per quæ veri illi & recti, quos habuerant de

Se

Se & Suis myſteriis ac cultu, ſermones diſtraherentur in varios, & proinde plerosque neceſſario perverſos, falſos, atque impios, ſiquidem unus ſolummodo eſſe poterat rectus per omnia, verus, & pius. Etenim ſi hæc ita forent accipienda, tum ſane Remedium, quod Deus adhibuiſſet ad inhibendum illud *Medium* Humanum retinendi laudabilis ceteroqui conſenſus, fuiſſet longe utique gravius ipſo Malo, quod in iſto *Medio* hæreret.

Supereſt ſententia Joh. Clerici in ſuo ad Geneſin Commentario, ubi palam teſtatus, *fruſtra hoc in loco ſudaſſe Interpretes*, *neque convenire ei ſenſum Famæ ſibi parandæ*, quia nulla ſit ejus connexio cum hoc Fine, *ne Spargantur ex illa Terra in Varias regiones*, cenſet itaque, *hanc aut ſimilem requiri hic ſententiam*, ut voluerint Primi Homines *Urbem condere*, *quæ Humani generis eſſet & diceretur Metropolis*, *circa quam una ſit Reſp. cujus imperii ſedes in perpetuum in ea ſola Urbe ſit*, *ne genus humanum per totum Orbem pro cujusque vagantis Familiæ arbitrio ſpargatur : altiſſimam* porro *Turrim excitare*, *ut Metropolin ſuam inſigniorem eo monumento facerent* : denique *Nomen Facere*, h. e. *Nomen ſuum imponere Loco*, vel *Urbi Habitationis ſuæ*, *ut eam vocarent ἀνθρωπόπολιν*, Urbem Homi-

minum, *aut ſimili nomine*, plane ut Deus dicitur *ponere Nomen ſuum in Templo*, in quo veluti habitat, & quod ideo *Templum Dei* vocatur. Sed quod neque ipſi hæc certe phraſeos illius interpretatio ſatisfaciat, patet ex eo, quod confeſtim ſubjicit: *Si loco vocis* שם / Nomen, *legeremus* אם / h. e. Matrem, ſeu Metropolin, *eadem exſurgeret ſententia, nec ea posſet locutio contorta haberi:* abunde ſic declarans, qualemcunque *Nominis* locutionem & ſignificationem, etiam hanc ab ſe allatam, cum quadam duritie & contorſione in iſtum locum, & connexionem cum *diſperſione*, inferri. Atque ideo præferre videtur in ſequentibus Criticam hanc Lectionem, ut *hac* ſcilicet *Metropoli condita, unum foret imperium, cui, quæcunque Urbes poſtea excitarentur, eſſent vectigales & ſubditæ*, quaſi *Filiæ*.

At primo Critica emendatio vix, ne in Profanis quidem, nedum in Sacris, admittitur, niſi duriſſimum Neceſſitatis Telum, aut maxima & manifeſta veriſimilitudo, eam requirat ultro, neque alia ulla rem expediendi commoda ratio ſuperſit. Deinde ſicut Puella, quæ tantum quod naſcitur, nondum poteſt eſſe nec dici *Mater*, ſic neque Urbs nondum condita, immo necdum condi cœpta, ſeu adhuc-

dum

dum futura. Si quis dicat, juris & imperii futuri ratione habitam dictamque *Metropolin*, neque hoc congruum ſatis videtur, quum nullæ Aliæ tunc Urbes, ſupra quas hæc Metropolitano jure emineret, imperiumve exerceret, exſtiterint, aut brevi exſtituræ viderentur, ſiquidem hæc erat omnium prima, cujus condendæ Homines Nomades, & incertis antea ſedibus vagi, conſilium hoc tempore primum ceperunt, & quidem ſtabiliendi ſibi iſtic habitationis, & cavendæ diſperſionis cauſa ex hoc unius Urbis loco in alias regiones, ubi demum Aliæ Urbes forent excitandæ, ſed incertum quando. Nihil itaque de *Metropoli* cogitaſſe videntur Homines, quum necdum ulla Alia, ne Hæc quidem ipſa, exſtaret Urbs, & ſtabilem tantummodo Sedem ſibi tunc demum vellent conſtituere. Adde, abſonum plane ſenſum eſſe & nexum in eo, *Faciamus nobis Matrem, ne diſpergamur*: vel *Metropolin, ne diſpergamur ex hoc loco in reliqua terrarum.* Sed *&* vox אם *Mater* ita abſolute poſita, ſine expreſſis aut deſignatis aliis Urbibus a prima ortis, neutiquam videtur *Metropolin* ſignificare. Dicitur quidem Una Urbs *Mater* alterius, quæ per coloniam ex illa priore originem ſuam traxit. At hic in tota Hiſtoria, nulla alia Urbs

Urbs ne verbo quidem ullo designatur, immo neque ulla alia tunc, ne in mente quidem aut consilio illorum Hominum, exstabat, ad quam illa tanquam *Mater* referri posset, ut adeo etiam hæc contorta satis sit locutio ac interpretatio. Haud minus friget illud alterum, *Faciamus nobis nomen*, h. e. imponamus nomen nostrum Urbi a nobis excitandæ, & appellemus *Urbem Hominum*, quasi periculum esset, ne ceteroquin a Leonibus aut aliis Feris esset denominanda. Urbs quamdiu una & sola erat, non indigebat ullo Nomine. Sed neque illud notat ista phrasis. Etenim quando Deus *Nomen suum in Templo* vel Gente dicitur *ponere*, quod, vel quam, ab se nominari patitur, nunquam tunc dicitur *Facere sibi nomen.* Certe & illi Homines non *Sibi*, sed isti Urbi, *fecissent* ac dedissent *nomen*, si suum ei nomen imposuissent. Quid porro iste sensus ad vitandam facit *Dispersionem*, quæ arctissimo nexu apud Mosen cum *faciendo Nomine* cohæret? Neque vero ulla satis speciosa potest dari causa, quare, si jam tanto essent numero, ut nonnulli Secedere desiderarent, eos interminatione servitutis & vectigalis absterrere vellent a Secedendo illi, qui manere mallent & possent, aut quare non paterentur eos *pro cujusque arbitrio per to-*

tum

tum Orbem, Vacuum utique & Vaſtum, *vagari*, vel *ſpargi*, *terramque*, ut permiſerat Deus, *implere:* cum e contrario, qui discederent, varia diſperſionis incommoda vel pericula, qui manerent, nulla omnino ſubirent. Abrahamus profecto ſuæ utilitatis vel commodi gratia longe aliter ſentiebat, quum ipſe & Lothus ſoli, non poſſent *ſimul habitare* propter multitudinem pecoris, quæ erat utrique, & ideo contentio inter utriusque paſtores eſſet exorta. *Nonne*, ait Geneſ. XIII. 9. *univerſa hæc terra tibi eſt expoſita, ſepara te quæſo a me: ſi ſiniſtram petieris, Ego dextram petam; ſi Tu dextram, Ego ſiniſtram.* Suaſit ergo ille ſeceſſionem ultro; tantum abeſt, ut impedire vellet. Sed & ſi maxime talem Seceſſionem impedire tamen voluiſſent Primi illi Homines, potuiſſent id æque feciſſe, etiamſi nullam *Urbem* conderent, aut ſuo *Nomine* inſignirent, ut adeo neque ſic ulla appareat ratio *Urbis* ædificandæ, & maxime *Nominis* ſui in ea ponendi propterea, *NE diſpergerentur*. Denique relinquitur etiam in hac interpretatione præcipua illa difficultas tantæ *Turris* incaſſum plane, nullumque ſibi in uſum, niſi inanis ornamenti, excitatæ ab Hominibus, qui talia Urbium ornamenta nunquam viderant aut audiverant, nec haud

haud dubie tam diutino labore comparanda desiderabant, neque etiam ædificationis concinnum in modum faciendæ periti erant, quippe qui nunquam ædificaverant, & antea plane omnes, postea etiam plerique & pene omnes, in tentoriis habitarunt.

CAP. XI.

De Voce שם / Sêm, *& ejus significatu. Turris cœpta est exstrui, ut esset* Signum *& quasi* Pharus *Pastoribus per longinqua errantibus redeundi ad suam Urbem.* Nomina *sunt signa rerum vel Hominum ;* Signum *etiam pro Nomine vel Cognomine ponitur.* Nomen *etiam qualemcunque disertam Hominis descriptionem notat.* Nominatim *pro diserte & speciatim sæpe adhibetur.* יד *apud Hebræos notat* Manum , *&* Statuam *seu* Monumentum. τῦ שם *Etymologia. Conjungitur ea vox cum aliis* Signum *denotantibus. Multa vocabula , eorumque significationes, in* *He-*

Hebraico Codice tantum ſemel occurrunt, & ex finitimis Linguis, etiam Græca, ſunt explicanda. אגר / *unde Græcum* Ἀγείρω, *Latinum* Acervus. אגרת Epiſtola, *unde* Ἄγγαροι, *forte &* Ἀγγέλλω. L & R *permutari inter ſe ſolent.* גיא vallis, *unde* γαῖα *&* γῆ terra *qualiscunque:* ענקים *unde* Ἄνακες *&* Ἄνακτες *de Diis, Regibus, Dominis.* סמן / *quod* Signare *notat, ut &* סימה Signum *ejusdem videtur originis, cujus* τὸ שם. *Literæ* ס *&* ש *ſæpius in derivationibus ſibi invicem ſubſtituuntur. Verba etiam a Nominibus derivantur apud Hebræos.* Σῆμα *Græcum eſt idem plane quod Hebr.* Sêm. *Notat omnis generis* Signum: *etiam* Sepulchri Titulum, *qui olim ſolum ſepulti* Nomen *continebat. Ipſum hoc & derivata eodem ſæpiſſime ſenſu reperiuntur adhibita, quo* Ὄνομα *cum ſuis Derivatis.* Arrianus *in Periplo Erythræi*

expositus. Ἐπίσημόν τινος *dicitur, quod alicujus* Nomen *præ se fert, vel ab aliquo* denominatur.

HABEMUS ita omnes aliorum de vexatissimo hoc loco sententias, quæ quidem alicujus sunt momenti. Quas idcirco tanto diligentius excussi, ut ostenderem, locum etiamdum superesse Novæ (fatebor enim) interpretationi, quam adfero. Etenim rationem semper prius studiose reddendam puto, quare receptam, aut priorem aliorum expositionem recipere non possimus, antequam nostram & Novam Lectoribus obtrudamus: Eam porro venerationem Sacræ deberi Scripturæ, ut quando ejus sententia nondum est clare & liquide percepta, aut explicita ab aliis, sedula eam investigatione undecunque eruere tentemus, eamque, quæ ita sive a nobis, sive ab aliis eruta & indagata videtur, ante meriti cognitionem justumque examen ne aspernemur aut rejiciamus. Quid ergo? Velim quilibet hanc, quam proferam, interpretationem ad ipsum Scripturæ locum diligenter, sed sine præjudicio, exigat, sicuti Ego eam cujuslibet judicio lubens submissam volo. Censeo itaque, Turrim tantam, non sine cau-

causa, usu, & fructu, ab istis Hominibus utilia tantum, immo pene necessaria tantum, non vana, non inania, non superflua sibi quærentibus, tam molesto & assiduo labore in ista rerum & artium imperitia excitari cœptam, sed certæ & præsentissimæ utilitatis gratia, ex illorum saltem opinione; atque adeo fuisse eam Turrim ipsum illud *Sêm*, quod *facere sibi* voluerunt, *ne dispergerentur*. Idonea ergo fuerit, necesse est, ad dispersionem istam impediendam, & ita τὸ שֵׁם *Sêm* quoque significare hic debeat non *Nomen*, sed *Signum*, *Monumentum*, *Indicium*, quo hominibus in longinqua camporum errantibus, ut solent Nomades cum suis gregibus, declaretur, simulac intra circulum, unde conspici illud posset, rediissent, ubi esset eorum Urbs, & Sedes fixa, ut & quo itinere ea sit repetenda. Historiam Facti, ut sese habuit mea ex sententia, prius exponam, dein singula validis & compluribus documentis probare, & difficultates, quæ objici queant, removere conabor.

Postquam ergo Omnes, quiqui erant Homines, diu multumque in Oriente erraverant cum suis armentis & gregibus, atque identidem ex uno in alium migraverant locum, venerunt tandem in Ter-

ram Sinear, seu Babyloniam. Hanc vero quia repererunt præ aliis uberem, fertilem, pascuam, suisque rationibus opportunissimam, consilium pariter ceperunt, in ea potissimum, עִיר / *Urbem*, seu *stabilem* sibi *Sedem* figendi: sed quum Pastores essent, atque ideo sæpe a reliqua Hominum multitudine, longius sequendo pecora, aberrarent, nec facile dein redirent ad suos, quia Terra tunc nondum erat in vias scissa, sed in latissima istic potissimum patebat camporum veluti æquora, nullis viis, nullis signis distincta, nec obvii in tanta adhuc Hominum paucitate facile occurrebant, quos de reditu instituendo percunctari possent, immo quum hisce de causis haud dubie jam nonnulli plane non rediissent; ideo reliqui, metuentes, ne simile quid & sibi aliquando eveniret, & ne in tali casu, si scilicet diutius vel etiam in perpetuum aberrassent, infestarentur a feris bestiis, quæ in Terris solis maxime & liberrime agunt, decreverunt simul cum Urbe altissimam exstruere Turrim, qua e longinquo visa, veluti signo quodam in altum sublato, Homines scirent & cognoscerent, quo sibi per illam æquabilem agrorum planiciem iter esset dirigendum, ut ad reliquam Hominum societatem & habitationem, seu ad illam Urbem

bem ſuam redirent. Sic ergo Turris illa futura erat *Signum*, quod, ut Aquila Legionem Romanam in acie & agmine, ſic hosce Homines per pascua & prata vagantes cogeret denuo & colligeret identidem in unum & proprium ſibi locum, caveretque, *ne* ſinguli facile *diſpergerentur*, aut longis forte erroribus in perpetuum a reliquis divellerentur, cujus nullum erat periculum, quando in conſpectu ſe iſtius ſigni continebant; ſed & ſi forte longius paulo aberraſſent, facilius vel ſic illud denuo oculis ſuis reperire & recuperare poterant. Hæc eſt Facti ratio, in qua nihil occurrit non probatu facillimum, & verbis Moſaicis congruum.

Primum autem omnium declarandum jam arbitror, expoſitionem hanc non eſſe alienam a ſignificatione vocabuli שם *Sêm*. Nec enim negaverim, potiſſimum eo deſignari *Nomen* alicujus rei vel Hominis proprium. Sed quid eſt tale *Nomen*, niſi *Signum*, quo audito vel viſo unumquidque cognoscitur, & a ſimilibus ejusdem generis diſtinguitur? Recte Imp. Juſtinianus, *Nomina SIGNIFICANDORUM Hominum gratia reperta ſunt. Qui ſi alio quolibet modo intelligantur, nihil intereſt.* §. 29. Inſt. *de Legatis.* Atque hinc in Lingua Latina, *Nomen*, a *Novi*, *Noviſſe*,

quasi Novimen, quod Notitiam facit, teste Festo. Immo ipsum vocabulum *Signi* cum derivatis sæpe Proprii Nominis vel Cognominis sensum denotat. Lamprid. in *Commodo* c. 11. *Decembrem* Amazonium *ex Signo ipsius vocabant*, h. e. Cognomine Commodi, qui *Amazonius* etiam volebat appellari. Spart. in *Pescen.* c. 8. *Quum Bassianus* Antonini, *quod verum Signum Pii fuit, Nomen accepit*. Vopisc. in *Aurel.* c. 6. *Nam cum essent in Exercitu duo Aureliani Tribuni, Huic Signum Exercitus apposuerat*, Manu ad ferrum, *ut, si forte quæreretur, quis Aurelianus aliquid fecisset, suggereretur*, Aurelianus Manu ad ferrum, *& cognosceretur*. Lat. Pacatus *Paneg.* Theodosii[a], *quo* (sæculo) *Romani duces Macedonici, Cretici, Numantini de vocabulis gentium subactarum adoptivum Insigne sumebant*. Minuc. Felix *p.* 18.[b] *Propriis appellationum Insignibus multitudo dirimenda est*. Livius I. 36. *Centurias addere alias constituit; suoque Insignes relinquere nomine*. Plinius *Paneg.* c. 23. *Gratum, quod Equestris Ordinis decora honore Nominum sine Monitore SIGNARES*. Et c. 88. *Nec magis Definite Distincteque DESIGNAT, qui* Trajanum, *quam qui* Optimum *appellat*,

a *Cap.* V.

b *Edit. Ouzel.* sive *Cap.* XVIII.

lat, ut olim Frugalitate *Pisones, &c. MONSTRABANTUR.* Capitol. in *Gord.* c. 17. *Quod* Antoninum *Filium suum ipse SIGNIFICARI voluit in Senatu.* h. e. nominari, appellari *Antoninum.* Similiter *Nota*, præcipue quidem qualecunque signum, sed & speciatim signum Nominis notat. Ovid. *Fast.* I. 596. *Ille Numantina traxit ab Urbe Notam.* & IV. 61. *Sed Veneris Mensem Grajo sermone Notatum Auguror.* h. e. Aprilem ab Ἀφροδίτη, h. e. Venere, Nomen suum accepisse. Contra *Nomen* non tantum propriam hominis aut rei significat appellationem, sed integram etiam ac plenam descriptionem, qua tanquam signo demonstratur & cognoscitur. Florus I. 11. *Coriolos quoque victos adeo gloriæ fuisse, ut captum oppidum C. Marcius Coriolanus, quasi Numantiam aut Africam, Nomini induerit.* h. e. suæ addiderit designationi, quæ constabat apud Romanos proprio cujusque nomine seu prænomine, tum Nomine Gentis, ex qua esset oriundus, dein Tribu, in qua censeretur, denique Ordine, vel Magistratu. Cic. *Parad.* IV. *Me Nomine tuo appellas.* h. e. Exsulem Me vocas, quod vocabulum in Te convenit, & tuæ vitæ quasi Signum est, quia *quos Leges exsilio affici volunt, Exsules sunt, etiamsi solum non mutarunt.* Plaut. *Mostell.* I. 1.

67. *Pol tibi iſtuc* (Furciferi) *credo Nomen actutum fore.* h. e. te mox furcam vere laturum, eaque re ſimul & illa appellatione inſignitum fore. Hinc *Nominatim* res, quæ propria nomina non habent, dicuntur deſignari, quando ita expreſſis verbis & ſignis deſcribuntur, ut certo cognoſcantur. Cic. de *Offic.* III. 16. *Quicquid eſſet in prædio vitii, id ſtatuerunt, ſi Venditor ſciret, niſi Nominatim dictum eſſet, præſtari oportere.* Veluti, ſi denunciatum fuiſſet Venditori ab Auguribus, ut ædes, quas vendebat, demoliretur, id Vitium *Nominatim* erat dicendum. *Famil.* XIII. 28. *Duo Nominatim te rogo, primum, ut ſi quid ſatis dandum erit, cures, ut ſatis detur &c.* Liquet ex his, promiscue *Nominis* & *Signi* vocabula adhiberi tum Proprio Nomini, tum rerum Hominumque Notis vel Signis exprimendis, atque adeo ferre Naturam Linguarum & Significationum, ut utraque res eodem vocabulo variis in Locis denotetur.

Id vero ut de Hebraico שם / cujus gratia hæc præmiſi, certius conſtet, ſciendum, derivari illud *Sêm* haud dubie, ab eadem origine, cujus eſt quoque vocula שם *Sâm*, *Ibi.* Nam conveniunt & literæ, & ſignificatio. Sicuti enim *Sêm*

ſi-

ſignificat id, quo aliquid demonſtratur, ſic *Sâm* actum ipſum monſtrandi quaſi digito vel manu, quæ in illo monſtrandi actu plerumque adhiberi ſolent. Hinc eleganter apud Hebræos *Signum* vel *Monumentum* alicujus rei vocatur יד / quo proprie ceteroqui *Manus* notatur. Sic 1 Sam. xv. 12. de Saulo, poſtquam Amalekitas deleviſſet, *Venit Saulus in Carmelum, & ecce ſtatuit ſibi Manum*, h. e. Signum Victoriæ. At diſertiſſime 2 Sam. XVIII. 18. *Abſalomus ſtatuit ſibi in valle Regis* את מצבת *Statuam; nam dixit, Non eſt mihi Filius, qui Nomen meum in memoria hominum ſervet; & vocavit illam ſtatuam Nomine ſuo, itaque appellatur illa usque in hunc diem* יד אבשלום *Manus Abſalomi*, h. e. Signum, Monumentum, quo Abſalomus demonſtratur, & ejus Nomen ſervatur, ac propagatur ad poſteros. Inde jam eſt, quod tanquam pene ſynonyma conjungantur יד ושם Eſa. LVI. 5. *Et dabo eis in domo mea & in muris meis Manum & Nomen* (ſeu Monumentum & Signum, quo ſemper cognoſcantur) *melius Filiis & Filiabus. Nomen perpetuum dabo illis, quod nunquam deſtruetur.* Nempe ſicuti Abſalom, quia non habebat Liberos, erexit ſuæ Memoriæ *Manum*, ſic hic Eunuchis loco Filiorum Filiarumque pro-

mittitur *Manus & Nomen*, quæ nunquam ſint ſubvertenda, & per quæ Memoria eorum melius, quam per Filios aut Filias, conſervetur. Cum quo Eſaiæ loco conferri velim, quod itidem junctim legitur in *Dialog. de Corr. Eloq.* c. 7. *Nomine vocari & Digito demonſtrari: Et* apud JCtos, *nihil referre, proprio Nomine res appelletur, an Digito oſtendatur, an vocabulis quibusdam demonſtretur.* l. 6. D. *de Rebus creditis.*

Origo autem utriusque vocabuli dicitur eſſe Syriaca, vel Arabica (Vide Patrem meum de *Ratione Studii Theol. cap.* XIII. *p.* 300.) quæ *Excellere*, *Excelſum eſſe*, & ſimul *Nominare* ſignificat. Nempe quod in edito eſt poſitum, id excellit; quod vero excellit, digitis, ſignis, nominibus demonſtrari ſolet. Hinc jam apud Latinos quoque *Nomen* & *Nobilis* ejusdem plane originis ſunt. Nam quid eſt *Nobilis* aliud, quam qui facile noſcitur & noſci poteſt propter quandam ſupra alios excellentiam? Adde, Signa, quæ homines conſpici vel obſervari velint, plerumque in excelſo ſtatui, ut tropæa in Montibus, ſicuti a Saulo factum vidimus, ne ex profanis exempla, quæ innumera pene ſunt, adferam: vel in altum tolli, ut vexilla, aliaque ſigna Militaria. Hinc Græci & La-

Latini proprie σημεῖον ἄιρειν, *ſignum tollere.* Polyæn. I. 29. σημεῖον ἦρε τοῖς ψιλοῖς καὶ ἱππεῦσι h. e. *ſignum ſuſtulit Velitibus & Equitibus*, quos ab ſe dimiſerat, ut falleret hoſtes. Cic. *pro Marcello cap.* 1. *His omnibus ad bene ſperandum quaſi Signum aliquod Suſtuliſti.* Et forſan ab hac ratione eſt, quod Deus, qui alias etiam עליון *Excelſus*, *Altiſſimus*, vocatur, appelletur quoque in S. Scriptura השם *Haſſem*, quaſi *in Excelſo poſitus*, qui eſt ſuper omnia. Sed hoc poſterius incertum tamen & Ego arbitror. Quin, ut dicam, quod ſentio, etiam de ipſa dubitem etymologia, putemque Arabicum illud & Syriacum verbum potius debere originem ſuam & ſignificationem vocabulo *Sêm*, quod ſimul Nomen & Nominis ac Famæ excellentiam notat: ipſum autem *Sêm* eſſe a שום (*Sûm*) *Ponere*, quoniam *Nomina* & *Signa* rerum ſunt Rebus illis, ut cognoſcantur & diſtinguantur, *impoſita.* Et ita eodem modo ac forma גר *Peregrinus* per Tzeri a גור; כן *Probum*, *Rectum*, a כון; עט *Calamus*, a עוט vel עיט *volare*, unde עיט *volucris Major*; שח *Meditatio* a שוח / שרח / Plur. שתות *Nates* (plane ut שם / Plur. שמות) a שות. Adde his מתים *Homines*, vel proprie *Mortales*, a מות / ut ego quidem cenſeam. Neque vero rationem hic

hic habendam magnopere putem puncti diacritici Literæ ש in vocibus שם & שום: quum illud pro arbitrio & qualicunque judicio in vocabulis, præsertim originis reconditæ & obscuræ, imposuerint haud dubie demum Masorethæ: certe istam distinctionem neglexerint, vel non agnoverint, cum Græci Interpretes, qui in Nominibus Propriis τὸ *Schin* vel *Sin* promiscue per simplex *Sigma* exprimunt, tum vicinæ Hebraismo Linguæ vel Dialecti, quæ etiam in Appellativis sine discrimine vertunt modo in *Samech*, modo in *Tau*. Hac itaque ratione *Sêm* significaret *Nomen* aut *Notam* Homini vel Rei demonstrandæ *impositam*; *Sâm* vero idem esset, ac siquis יד *Manum* intendens diceret, *Ibi Positum est, quod quæris*.

Verum ut ipsam vocabuli *Sêm* significationem seorsim jam probemus, sciendum est, eo non tantum denotari Nomen Proprium, sed etiam qualemcunque Appellationem, & Designationem per Epitheta. Sic Esa. IX. 6. *Et vocabit quis Nomen ejus, Mirabilis, Consiliator, Deus Validus, Pater æternitatis, Princeps Pacis.* Judic. XIII. 18. *Quare ita rogas Nomen Meum: nam hoc est Mirabile*, vel *exsuperans captum humanum.* Ubi manifeste *Nomen* significat descriptionem, qua cognosce-

re-

retur Deus. Pro *Signo* autem ubi fuerit positum, præterquam in hoc Geneſeos loco, vix ullum in S. Scriptura reperies exemplum: niſi quod Eſaiæ LV. *ult.* conjungantur tanquam Synonyma, לשם לאות עולם *in Nomen, in Signum perpetuum*, plane ut cap. ſeq. §. 5. junguntur יד ושם *Manus* (ſtatua) & *Nomen*, de quo jam egimus ſupra: ſed & Aben Ezra ad *h. l. Geneſ.* jungit לאות ולשם.

Ceterum nihil profecto mirum, peculiares multorum Vocabulorum *Significationes*, quasdam Rariſſime in Hebræo Codice, immo nonnullas prorſus Semel vel etiam Nunquam, occurrere, quum ipſa *Vocabula* ſane quam multa exſtent tantum ἅπαξ λεγόμενα. Neque aliter ſe res habere poteſt, quando ex antiqua Lingua exiguæ adeo ſuperſunt reliquiæ. Pone ex Latina ad nos perveniſſe unicum Livium; quot vero iſtic reperirentur tantum ſemel & Vocabula ipſa, & eorum Significationes, quarum exempla ex reliquis Auctoribus habemus nunc ſane frequentia? Sic ergo, quia ex Hebraica nihil nobis reſiduum eſt, niſi unicus S. Scripturæ Codex, neceſſarium quoque, multa eſſe iſtic vix ſemel atque iterum obvia, quæ tamen fuerunt olim ſic ſatis uſitata. Hæc etiam cauſa, quare toties Viri Eruditi

ex Cognatis & vicinarum Gentium Linguis Hebraicam, quia de suo tam pauca & parca, atque ideo incerta, Significationum nobis reliquit documenta, feliciter & studiose explicent atque illustrent; id quod recte ita & utiliter fieri, cum alii, tum ex professo pluribus exemplis docuit Pater Meus *Libro modo laudato cap.* 13.

Quibus adde, mox aliter etiam usui futurum, illud ἅπαξ λεγόμενον apud Jobum XVI. 19. שהדי / *testis meus*, cujus vocabuli usum & significationem frustra alibi in Hebraica Lingua quæras, sed invenias in paucissimis illis Chaldaicæ reliquiis in S. Scriptura obviis. Nam Genes. XXXI. 47. quum Labanus & Jacobus acervum lapidum constituissent, veluti testem fœderis & amicitiæ inter eos redintegratæ, Jacobus eum Hebraice appellasse dicitur גלעד / at Labanus Chaldaice יגר שהדותא h. e. *Acervum Testimonii.* Sic אגר in S. Scriptura nobis occurrit tantum in significatu *colligendi fructus* tempore messis, vel autumni. At latiorem habuisse significationem ex derivatis discere possumus, non modo ex Græco ἀγείρω (quod extra controversiam ex illo Hebraico est ortum, potius, quam ab ἄγω, ut volunt Græcorum Etymologi, quodque etiam *fru-*

gum

gum collectionem (ut apud Hesiod. Ἐργ. v. 574 [a]. καὶ οἴκαδε καρπὸν ἀγείρειν, h. e. *& domum colligere fructus*) sed præterea omnis quoque generis rerum *collectionem congregationemque* notat, ut nemo ignorat, & liquet vel ex ἀγορὰ *forum*, sic dictum, quoniam ibi congregari & convenire solent cives, resque venales eo comportari) Tum ex Latino *Acervus* (quod ab ἀγείρω, cujus diphthongus in derivatis mutatur in vocalem brevem, haud dubie potius formatum, litera Γ Græcorum, ut solet, in C Latinorum transeunte, quam ab ἀκὶς *acumen*, vel ab *acus*, *aceris*) Verum etiam ex ipso אגרת / quod in Libris *Paralipomenôn*, aliisque sub Monarchia demum Medo-Persica scriptis, occurrit, *Epistolam* significans, haud dubie a collectione Literarum & verborum, qua ratione etiam apud Latinos Epistola *Literarum* vocabulo passim exprimitur. Immo & inde videtur ortum, ut apud Persas ἄγγαροι dicerentur οἱ γραμματοφόροι καὶ ἄγγελοι τοῦ βασιλέως, ut exponit Suidas, h. e. *qui literas & mandata Regis perferebant*. Vide Brisson. *de Regno Persar. lib.* 1. Quod ipsum vocabulum non modo cum derivatis, veluti ἀγγαρεύειν & ἀγγαρεία, translatum est postea in Linguam Græcam, sed & ex

Eo,

a *Al.* 576.

Eo, vel ex Hebr. אגרת / formatum à Græcis jam olim arbitrer ἄγγελος & ἀγγέλλω, litera R in L mutata, ut sæpe fit. Nam & eadem ratione Vox Ἀγέλη *Grex*, ab ἀγείρω videtur formata; sed & idcirco Lucianus *in Judicio Vocalium*, has quoque literas, L & R, inter se litigasse memorat. Exempla autem vide in Notis nostris ad Æliani *Var. Hist.* II. 33. *extr.* sed maxime apud Vossium *de Literarum permutatione*. Putem vero hanc Originem tanto certiorem, quod apud Hesychium lego etiam ἀγγέριος, & quidem expositum per ἄγγελος, quodque Xenophon & Suidas [a], in exponendo τῶν Ἀγγάρων Persicorum munere, vocabulo quoque ἀγγέλων utuntur. Ceterum si ita est, ut sane videtur, habemus in eo iterum, æque ac in τῷ אגר / exemplum vocabuli, cujus latior usus nobis constat magis ex Græca Lingua, ubi quemlibet & cujuslibet rei *nuncium* significat, quam ex Orientali, unde tantum scimus notasse *Cursorem*, qui Regis Literas ferebat. Huc refer etiam Hebr. גיא *Gai* vel *Gê*, quod pene ubique *vallem* vertunt, sed quod omnem insuper *planiciem*, regionem, tractum, in mare vel montes plerumque de-

[a] Etiam alii. Vid. Stolberg. *Exercitat. de Angariis Veterum.*

desinentem, & ita vel ex mari vel in montes exsurgentem (siquidem a Radice גאה *in altum erigi* derivatum creditur) notare, Græca iterum Lingua nos docet, ubi latiore omnis *terræ* sensu accipiuntur passim γαῖα & γῆ, vocabula haud dubie inde formata, unde & LXX. Interpretes plerumque Hebraicum גיא per γῆ Græcum reddunt, sicuti ostendit Doctiss. Keuchenius ad Matth. v. 22. Porro autem τὸ γαῖα maxime tractum terræ Campestrem & Montibus oppositum significare ex Homero & Virgilio inter se collatis pulchre probavit Henr. Stephanus [a]. Sed & cer-

S

[a] Henr. Stephanus in *Thesauro Ling. Gr.* unum habet locum Homeri, ubi γαῖαν a montibus distingui dicit, ex *Iliad. υ. V.* 57. Ποσειδάων ἐτίναξε Γαῖαν ἀπειρεσίην, ὀρέων τ' αἰπεινὰ κάρηνα, *Neptunus concussit terram immensam, montiumque excelsos vertices.* Cum eo confert verba Virgilii V. *Aenëid.* 694. *Tonitruque tremiscunt Ardua terrarum & campi*, in quo sibi videri ait Poëtam Latinum ὀρέων αἰπεινὰ κάρηνα interpretari *ardua terrarum*, at γαῖαν *campos.* Non video quomodo ex his verbis Homeri probari possit τὸ γαῖα *maxime* significare tractum terrae campestrem & montibus oppositum. In illo loco nihil aliud significare potest; sed ex eo non consequitur id *maxime* significare etiam aliis locis, ubi montibus non opponitur. Eustathius quidem *pag.* 1195. γαῖαν *l. d.* Homeri itidem interpretatur πεδιάδα γῆν, *campestrem terram*, nec

certam notare regionem, quæ in ſtabilem alicujus gentis habitationem ceſſit, liquet ex eo, quod Veteres appellarint Galatas per Aſiam vagantes γαιζήτας, quia, ut ait Euſtath. ad *Iliad.* β. v. 122. [b] γαῖαν ἐζήτεν, ἐφ' ἧς οἰκήσεσι, *Terram quærebant, in qua habitarent.* Adde jam his ענקים & בני ענקים *Enakim* & *Filii Enakim*, qui fuerunt non tantum Gigantes ampliſſimæ ſtaturæ, ſed & aliquot Urbium (*Hebronis*, *Debiri*, *Hanabi*, Joſ. XI. 21.) Domini, Filii cujusdam *Enak*, q. d. hominis *Torquati*; quod Patris Nomen transiit in totius Familiæ appellationem, adeo ut ejus Poſteri dicantur non tantum *Filii Enak*, vel *Filii Enakim*, ſed & ſimpliciter

nec tamen quidquam de hac *praecipua* notione vocis γαῖα obſervat; verum & ibi, & ad Iliad. ὀ. *pag.* 1012. adnotat, morem Homeri eſſe, ut, poſito toto, quod omnes partes continet, v. g. *terra*, tamen deinde etiam notabiles quasdam partes totius memoret: ut *Iliad.* ό. *v.* 193. Γαῖα δ' ἔτι ξυνὴ πάντων καὶ μακρὸς Ὄλυμπος, *Terra vero adhuc communis omnium & excelſus Olympus.* quaſi ſcilicet mons Olympus non esſet pars terrae.

b *Pag.* 188. *Edit. Rom.* Et ſic etiam Auctor *Etymologici M.* Sed ſunt argumenta, quibus impugnari poſſit ſcriptura hujus vocis, ut corrupta; etſi ideo non negandum eſt γαῖαν pro *ſedibus* dici. *Terras quaerere*, & *ſedes quaerere* Latini quoque pro eodem dicunt.

ter *Enakim*, ſeu Græca terminatione plurali Ε῎νακες. Inde jam factum videtur, ut hoc Nomen deinceps denotaret etiam *Reges & potentes Dominos*, in primis quia antiquis temporibus in Oriente ad Regiam dignitatem præ ceteris produci ſolebant præcipuæ ſtaturæ Homines, quia, ut ait Curtius VI. 5. *Hominibus Barbaris in corporum majeſtate veneratio eſt, magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia ſpecie natura donare dignata eſt.* Neque vero minus apud Hebræos ea majeſtas & ſtatura corporum commendabat Regios Homines, quod non tantum ex Saulo notum eſt, ſed & traditur de Abſalomo 2 Sam. XIV. 25. Ceterum utriusque ſignificationis documentum habemus iterum in Lingua Græca, ubi Α῎ναξ, ἄνακος, ut antiquiſſimi, vel ἄνακτος, ut poſteriores declinarunt, ſignificavit primo *Gigantem*. Nam eo Nomine fuiſſe Patrem Aſterii Gigantis, a quo inſula juxta Miletum nomen accepit, Filium Cœli ac Terræ, docet Pauſanias *in Atticis* [a], & Euſtathius ad *Iliad.* A. v. 8. [b] Similiter ultimum quoque Terræ poſt Titanas par-

S 2 tum,

[a] *Cap.* XXXV. & *Achaïc. Cap.* II.

[b] *Pag.* 31. *Edit.* R. De hoc, & de Dioſcuris egerunt etiam cum alii, tum Bochartus I. *Chan.* I.

tum, Typhœea, Hesiod. θεογ. 859. vocat Ἄνακτα κεραυνωθέντα, h. e. *Anacum fulmine* ab Jove *ictum:* Deinde vero notavit idem illud vocabulum etiam *Deos*, in universum omnes, sed peculiariter *Castorem* atque *Pollucem*, qui καὶ ἐξοχὴν prisca declinatione Ἄνακες dicebantur: Tum porro *Reges*, denique *Dominos* simpliciter, & *Patres familias*; unde Hesychius Ἀνακτορία exponit βασιλεία, δεσποτεία, h. e. *regnum, dominica potestas*; & Ἀνακτορίησι, ταῖς δεσποτικαῖς ἢ βασιλικαῖς ὑπηρεσίαις, *Dominicis aut regiis ministeriis*. Sed disertius agit Eustath. *d. l.* ad *Il.* A. δῆλον οὖν, ὅτι θεία τις λέξις τὸ Ἄναξ, διὸ καὶ ἐπὶ ὑπεροχῆς κεῖται, οἷον ἐπὶ βασιλέων, καὶ ἐπὶ οἰκοδεσποτῶν, ὡς καὶ τοῦτο οἱ παλαιοὶ λέγουσι. δηλοῖ δὲ καὶ Εὐριπίδης τὴν τῆς λέξεως θειότητα, εἰπών: Ἄναξ, θεοὺς γὰρ Δεσπότας καλεῖν χρεών. *Clarum itaque, Divinæ cujusdam significationis esse vocabulum illud*, Ἄναξ, *idcirco & Excellentiam quandam potestatis, veluti Regum & Patrum familias, denotat, sicuti hoc quoque tradunt Veteres. Euripides vero etiam declarat Divinitatem hujus Vocabuli, dicens:* Ἄναξ, *nam Deos oportet appellare* (Δεσπότας) *Dominos.* Ita ergo loquitur ibi Euripides, quasi Ἄναξ non tam *Deum* aut *Regem*, quam *Dominum* proprie significet, dum hanc ipsam reddit rationem ejus, quod

Deum

Deum [a] appellaverat Ἄνακτα, quoniam Deos deceret appellare *Dominos*, quaſi ergo Ἄναξ & Δεσπότης fuerit idem. Adde Eundem Euſtath. etiam ad *Iliad.* β. in *Catalogo Navium* v. 284. [b]

Lubens hæc omnia & conſulto plane attuli, ut ita liqueret, ſupereſſe multa in Hebraico Codice, non tam ex Hebraiſmo, quam aliunde, explicanda, ac ut ſimul, rariorem hanc vocabuli *Sêm* ſignificationem ex aliis quoque Linguis recte declarari & confirmari, jam oſtenderem. Quo pertinet primo, quod iterum in ipſis illis Hebraicæ Linguæ exiguis adeo reliquiis, verbum ejusdem, ut crediderim, cujus τὸ שם / Originis, *ſignare*, *inſignire*, notet. Eſt illud סמן / quod ipſum itidem ſemel tantum occurrit, & quidem apud Eſaiam XXVIII. 25. שערה נסמן *hordeum inſigne*, vel *ſignis diſtinctum*. Quæ etiam cauſa eſt, quare Eruditi illud ex Lingua Græca derivent, quaſi a σημαίνω vel σημεῖον deductum fuiſſet. Mihi vero illud mirum plane accidit, vocabula Græcæ originis, ſeu ex Græciſmo, & quidem ſerioris temporis, translata in Hebrai-

 cum

a Sunt in Euripidis *Hippolyto* v. 88. verba ancillae, vel, ut Barneſio placet, ſervi ad Hippolytum.

b *Pag.* 345. *Edit. R.*

cum Sermonem, tribuere Esaiæ, Prophetæ & Scriptori, qui floruit temporibus Jothami, Achazi, Ezechiæ, Regum Judæorum, dudum ante Psammetichum, qui primus demum teste Herodoto II. 154. liberum & securum Græcis aditum aperuit in Ægyptum, quum ab Ionibus & Caribus forte fortuna per tempestatem isthuc delatis adjutus esset. Multo itaque minus videntur Hebræi jam dudum ante illud tempus Græcos in suam terram, aut vocabula Græca suam admisisse in Linguam. Porro autem σημαίνω serioris, ut dixi, est ævi, vel certe remotioris a sua origine derivationis. Nam prius dixere Græci σημάω, atque inde postea formarunt σημαίνω, quo modo se res habet in omnibus istius Formæ verbis. Sic enim etiam βαίνω ex βάω, φαίνω ex φάω, ὑφαίνω ex ὑφάω, χαίνω ex χάω, ἐλαύνω ex ἐλάω, &c. Quanto itaque rectius significatio & etymon verbi סמן ex ipsis Orientalium Linguis deducitur, in primis quum apud Chaldæos illud frequens & vulgati fuerit usus? Et quidni ab Hebraico *Sêm*, vel ab eodem vocabulo, unde illud *Sêm* originem suam videtur trahere? Nempe Hebr. שום *Ponere*, Chaldæi scribunt סים / ש in ס mutato, ut fieri quamplurimis in vocabulis notum est, etiam in illo שהד

te-

teſtis (vide ſupra *p.* 270.) quod in S. Scriptura per ש / at apud Chaldæos per ס ſemper ſcribitur. Immo vero permutantur inter ſeſe hæ literæ in una eademque Lingua, etiam Hebraica, ſæpiſſime. Sic enim סמר *horrere*, שמיר *ſpina horrida*, שעפים & סעפים *cogitationes ambiguæ*, סוג & שוג *avertere*, *recipere ſe*, &c. ſimul utraque in uno Codice Hebræo occurrunt. Quin Ephraimitæ non potuerunt accurate ſatis vel clare leviculam hanc diſtinctionem inter ש & ס exprimere, dicentes identidem סבלת pro quo alii Iſräelitæ eodem tempore dicebant שבלא. Vide Judic. XII. 6. Similiter apud Chaldæos & Syros סמאל & שמאל *ſiniſter*, מסחתא & משחתא *ſtatera*, עסב & עשב *Herba*: pleraque etiam a עסר *Decem*, promiſcue ab iis modo per ש / ut apud Hebræos, modo per ס ſcribuntur. Sic igitur Chaldæi & Syri dixerunt non modo סים pro Hebræo שום *ponere*, ſed & pro שם *Nomen*, *Signum*, ſimul שום *Nomen*, & סימא *ſignum*, *poſitio*: quæ duo videri poſſent primitus fuiſſe eadem, ſed paulatim in diverſam diſtincta pronunciationem & Scripturam, plane ſicuti in aliis quoque Linguis ſæpe duo exiſtere cœperunt vocabula, diverſæ Scripturæ & ſignificationis, quæ antea unum idemque fuerant,

 ut

ut una eademque Origine, ſic etiam Scriptura & Significatione. Talia apud Latinos ſunt, *Coitus* & *Cœtus*, *Mœnia* & *Munia*, *Quæro* & *Quæſo* &c. Sed apud Hebræos & Vicinos longe plura ejus generis reperiuntur per promiſcuum iſtic uſum literarum Quiescentium, & Conjugationum defectivarum, ut & per Maſorethicam Punctorum diſtinctionem. Ab illo autem סימא formatum procul omni dubio סימן / quod itidem *Signum* notat. Hinc porro deduxerim illud סמן quod ſemel in Hebraica Lingua, in Chaldaica frequentius obvium, de re, quæ *ſigno quodam notata* vel *inſignita eſt*, adhibetur. Neque hoc rejiculum plane haberi ideo debet, quod plerumque Nomina in Linguis Orientalibus deriventur a Verbis. Aliquando enim, licet rarius, contra fit. Et ita crediderim factum in ſimili plane זמן / quod ſignificat proprie & primitus *Tempus conſtitutum*, eaque una ſignificatione apud Hebræos occurrit, ſed apud Chaldæos dein Analogica translatione etiam *Conventum* notat, *qui fit conſtituto tempore & loco*, veluti in Conviviis, & ſolennibus ac ſtatis conciliis. Significatio autem illa *conſtituti*, *dicti*, *decreti temporis & conventus* nos ducit manifeſte ad originem illius a verbo זמם *decernere*, *conſtituere*, *cogi-*

gitare, repetendam, unde & מזמה *cogitatio*, *propositum.* Ceterum ab illo זמן formatum eſt Verbum, quod tantum apud Ezram & Nehemiam in Participio Paſſivo occurrit, notatque itidem *præſtituta*, *ſtata*, *edicta tempora*, ſed quod Chaldaice ac Syriace etiam ex ſecunda Nominis iſtius ſignificatione notat *Parare*, ex. gr. convivium, *invitare*, *citare*, *congregare*, *in locum* ſcilicet *& tempus certum.* Similiter a גור *Habitare apud alios*, eſt מגור *Habitatio*, & מגורה *Granarium*, vel *Horreum*, in quo fruges reponuntur, aut colliguntur. Nam גור etiam *colligere*, & *congregare* notat; atque adeo tum ex hac ſignificatione, quam crediderim omnium primam & præcipuam, tum ex illo derivato, videtur convenire origine ipſa, & vi ſignificationis, cum אגר / ſed ab eo distractum eſſe tandem ea ratione, quam modo memoravi, in diverſam & Scripturam, & peculiaris Significationis uſum: plane ſicuti etiam Scriptura differunt גרה & אגורה / quod utrumque pariter *Nummum* ſeu *Obolum*, notat. Ceterum ex illo מגור *Magur* formata ſunt in derivatis Linguis varia literam M. retinentia: ſic in Græca μέγαρον, Homer. *Iliad*. A. 396. πατρὸς ἐνὶ μεγάροισιν, quod Scholiaſtes exponit, ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου οἴκοις: at in Puni-

nica *Magar* pro Villa, Servius ad Virg. *Æn.* I [a]. *Magalia antistœchon est, Nam debuit* (Virgilius) *Magaria dicere; quia Magar, non Magal, Pœnorum lingua Villam significat.* Similiter vero ab isto מגורה *Horreum* videtur deductum Verbum מגר *dejecit*, & hinc ממגרה *Granarium*, quia grana dejiciuntur in horreum. Neque aliter se res habet in derivatis a גרר *traxit.* Nam inde est מגרה *serra*, quæ in diversum vicissim *trahitur*, & גרה *ruminatio*, quæ *retrahit* cibum. Ab utroque autem Nomine derivata sunt Verba ejusdem significationis, ut videre est in Lexicis. Nihil ergo obstat quo minus etiam a Nomine סימא vel סימן derivetur itidem Verbum סמן / cujus significationem & originem potissimum nunc investigavimus.

Ita vero liquet, alia etiam superesse in Hebraismo, at in Chaldaismo frequentari, Vocabula ejusdem, cujus τὸ *Sêm*, originis, & iisdem, vel certe ejusdem potestatis & organi, literis constantia, significationem autem, quam in τῷ *Sêm* quærimus, *Signi* qualiscunque, extra controversiam habentia. Id quod magno sane est argumento, idem olim significasse etiam illud *Sêm*, licet ejus in exiguis illis

a *Vers.* 425.

lis Hebraicæ Linguæ reliquiis non nisi unum hoc diserte nunc reperiatur exemplum, quod idcirco ab aliis non fuit animadversum. Sed non minoris evidentiæ & ponderis argumentum ex Lingua Græca peti potest, ubi Σῆμα formatum est haud dubie ex Hebraico שם / Σημ, & denotat similiter qualecunque *signum*, tam quod auribus percipitur, quam quod oculis. Derivandum illud esse ex Hebræo *Sêm*, declarat conveniens utriusque vocabuli significatio, & eædem prorsus literæ. Nam שם quando est Nomen Proprium unius ex Filiis Noachi, a LXX. exprimitur hisce literis ΣΗΜ, quibus si addas A. quæ est litera terminationis Græcæ, habes ipsum illud σῆμα. Sic quas literas Hebræi βητ, ητ, θητ appellant, Græci βῆτα, ῆτα, θῆτα dicunt. Significatio autem τȣ̃ Σῆμα est *Signi*, quod in Voce, Nomine, Verbis, Literis, Rebus, Argumentis consistit. Sic apud Homerum in *Odyssea extr.* σήματα passim [a] appellantur *Signa*, quibus Ulysses redux a suis agnoscitur: Et in Ludis ac Certaminibus *Notæ* [b], quæ declarabant, quousque

a In *Odyss.* ώ. bis omnino *vers.* 328. & 345. in superioribus libris saepe.

b Homer. *Iliad.* ψ'. *v.* 326. 843. Et apud Latinos *signum* de Meta. Vid. Virgil, v. *Aeneid.* 130.

que perveniſſet cujusque diſcus, ut & *Metæ* ac *Scopi*, quos petebant curſu vel jaculis: Tum in Bello *Signa*, quæ vel Voce & Verbis, vel Vexillis aut alia quacunque Re, Militibus dantur, Heſ. *Aſp.* 385. σῆμα τιθεὶς πολέμοιο, *Signum belli edens.* Hinc σημαίνειν σάλπιγγι paſſim. Immo & *Literæ* ac *Epiſtolæ* iſtoc vocabulo deſignantur. Sic enim Bellerophonti *Iliad.* Ζ. *v.* 168. dicitur Prœtus dediſſe ad Jobaten Socerum σήματα λυγρὰ, *Literas*, vel *Verba triſtia*, *ſcribens in tabellis multa acerba.* Ubi Euſtath. ait Γράμματα (*Literas*) dici ab Homero σήματα, quia ſint σημεῖα φωνῶν, καὶ νοημάτων, καὶ πραγμάτων, *ſigna Vocum*, *Cogitationum*, *&* *Rerum.* Et dein *v.* 176. Socer rogaſſe Bellerophontem σῆμα ἰδέσθαι, *videre Epiſtolam, quam ſibi a Genero ferret: ſed ubi acceperat* Σῆμα κακὸν (*Epiſtolam malam*) *Generi*, *miſiſſe eum contra Chimæram.* Porro etiam *Omen* ore prolatum iſtac voce exprimitur, Homer. *Odyſſ.* Υ. v. 111. Ἦ ῥα μύλην ϛήσασα, ἔπος φάτο, σῆμα Ἄνακτι, quæ *ſiſtens Molam*, *Verbum prolocuta eſt*, quod erat *Omen* Ulyſſi *Regi*, ſive *Domino.*

Sed præter plura alia notat vel maxime *Sepulchrum*, & ejus proprie *Inſcriptionem*, quæ ſcil. declarat, quis ibi ſit ſepultus, & quæ conſtabat olim ſolo *Nomine* defuncti.

cti. Hinc Euſtath. ad *Iliad.* z. v. 176. [a] ἔκδηλον, ὅτι ὁμώνυμος φωνὴ καὶ τὸ Σῆμα, τεθειμένον ἐπί τε ἄλλων ὐκ ὀλίγων, καὶ ἐπὶ τάφυ, &c. *Manifeſtum* τὸ Σῆμα *eſſe vocem varia ſimul ſignificantem, impoſitam tum aliis non paucis rebus, tum etiam ſepulchro*, &c. Ant. Liber. *Fab.* 2. Meleagri *ſorores lamentabantur ſine intermiſſione* (παρὰ τὸ Σῆμα) *apud tumulum ejus.* Sic Regum quoque Alexandrinorum Sepulchrum communiter Σῆμα appellatum docet Caſaub. ad Sueton. *Aug.* 18. Sed nihil illuſtrius dari poteſt loco Heſiodi in *Aſp.* v. 477. Τῦ δὲ τάφον καὶ σῆμ' ἀϊδὲς ποίησεν Ἄναυρος, *Cygni ſepulchrum & Monumentum obſcurum reddidit* fluvius *Anaurus.* Diſtinguitur iſtic τάφος καὶ σῆμα æque, ac ab Euſtathio ad *Hom.* paſſim. Nempe Τάφος eſt proprie ædificium ſepulchri, at Σῆμα Monumentum ſeu Inſcriptio, quæ olim, ut dixi, *Nomen* defuncti tantum oſtentabat. Hinc Arrianus *in Epictetum* I. 19. ad Hominem, qui ex rebus nihili æternam Nominis memoriam quærebat: ſperabatque fore, ut ſi impetraret Sacerdotium, etiam poſt Mortem in memoria Hominum *Maneret ſuum Nomen: Scribe illud in Lapidem*, inquit, & *Manebit. Lapidem* haud dubie Sepulchri. Certe ita fieri ſolitum, liquet ex

a *Pag.* 634. *Edit. Rom.*

ex Lactantio I. 11. ubi ait ſepulchrum Jovis eſſe in oppido Gnoſſo, inque eo inſcriptum antiquis Græcis literis, Ζὰν Κρόνȣ. h. e. *Juppiter Saturni F.* Similiter Ovid. *Heroid.* VII. v. 193. *Nec conſumpta rogis Inſcribar*, ELISSA SICHAEI. Sic & apud Gruterum antiquiſſimæ Romanorum Inſcriptiones ſepulchrales nihil fere niſi Nomen præferunt: id quod jam obſervarunt Ant. Auguſtinus, aliique. Neque aliter apud Græcos. Vide Sponii *Itiner. To.* II. p. 384. Εἰρήνη Διωδώρȣ Ἐδεσσαῖα Σωσιπόλιδος Ἀμαξαντέως γυνή. Conſiſtebat itaque τὸ Σῆμα potiſſimum in ipſo *Nomine*, eoque declarabat, quis ibi eſſet ſepultus. Similiter vero ſe res habuit in *Sortibus*. Nam & illæ inſcribebantur in primis Nomine ſortientium, vel ejus Primis Literis, aut quo alio Signo. Certe apud Homerum *Iliad.* H. v. 187. dicitur Ajax *ſortem ſuam* ἐπιγράψαι, *inſcripſiſſe*; at hoc ipſum v. 175. verbo σημήνασθαι exprimitur, & ipſa inſcriptio v. 189. κλήρȣ σῆμα appellatur.

Convenit itaque ipſum Σῆμα multum cum *Nomine*, ſed quod ex Compoſitis ejus vel maxime elucet. Nam ſicuti Jobi XXX. 8. בני נבל גם בני בלי שם. Erant *Filii ſtultorum, etiam Filii Hominum ſine Nomine*, h. e. obſcuriſſimorum, ignotorum

rum (quo plane modo Latini frequentissime, Florus III. 16. *Hominem sine Tribu, sine Nomine.* Virgil. *Aen.* IX [a]. *Et multam in medio sine Nomine plebem*, scil. occidit, h. e. ut Servius, *quorum per humilitatem non sunt omnibus nota nomina.* Sed maxime *Aen.* II. [b] de Priamo, *Jacet ingens littore truncus, Avulsumque humeris caput, & sine Nomine corpus*, h. e. ignoratum, seu quod, quia Caput erat avulsum, cognosci non amplius poterat, aut sciri cujus esset. Sic Silius Italicus *lib.* IV. [c] *Letho dedimus sine Nomine gentem*, & *lib.* VIII. [d] *Atque illi sine Luce genus surdumque Parentum Nomen*) ita vero Græci quoque idem dicebant, sed unico vocabulo (ut copiosa est & componendi facilis hæc lingua) composito vel cum τῷ Ὄνομα, vel τῷ Σῆμα, h. e. vocabulis, vel Ἀνώνυμος, vel Ἄσημος: Dio Chryf. Τρωικῷ [e], ἐβασίλευσαν ἐ σμικρῶν, ἐδὲ ἀνωνύμων χωρίων, *Reges erant regionum non parvarum, neque ignobilium, sine Nomine.* Hesiod. Ἐργ. v. 153. de Tertii & ænei seculi Hominibus, *descenderunt in domum Plutonis* Νώνυμοι, pro ἀνώνυμοι. Similiter jam Ἄσημος, Joseph. XX. 8. *extr.* Herodes non amplius constituit Pontifices Hassamonæi generis, *sed hunc*

a Vers. 343. b v. 557. c v. 267. d. v. 248.
e Pag. 189.

hunc honorem tribuit τισὶν ἀσήμοις h. e. *quibusdam ignobilibus.* Lucas *Actor.* XXI. 39. ἐκ ἀσήμου πόλεως, de Tarso Ciliciæ. Ant. Lib. *Fab.* 13. *Filia hominis* τῶν ἐκ ἀσήμων, ex illis, qui in ea Civitate *non erant obscuri.* Contrarium his est אנשי שם *Viri Nominis*, h. e. celebres, quod sæpe in S. Scriptura reperitur. LXX. illud vertunt ὀνομαστοὶ: Vide Gen. VI. 4. Numer. XVI. 2. I. Chronic. V. 24. & XII. 30. Et ita Judithæ XI. 23. καὶ ἔσῃ ὀνομαστὴ παρὰ πᾶσαν τὴν γῆν, *Et eris celebris per omnem Terram.* Syrach. XLIV. 3. ἄνδρες ὀνομαστοὶ ἐν δυνάμει, *Viri Celebres potentia.* Immo & Dio Cassius lib. LV [a]. conjungit εὐγενὴς καὶ ὀνομαστὸς. *Generosus & Nobilis.* & lib. LX. [b] *Ipse quidem hoc modo, Arria autem alia re*, ὀνομαστοὶ ἐγένοντο. Jam vero eodem plane sensu adhibent Græci etiam derivata à τῷ Σῆμα, veluti διάσημος, ἐπίσημος. Inscriptio Vetus apud Spon. *Tom.* 2. p. 336. Δαδούχου διασημοτάτου. Dio Chrys. Τρωικῷ [c] Ἀνδρῶν ἐπισήμων θανάτους. Lucian. *de Morte Peregr.* [d] τὸν τοῦ ἡλίου ἐπισημότερον, *Sole ipso Celebriorem.* Et in S. Scriptura, Matth. XXVII. 16. *Habebat tunc vinctum*, vel *reum*, ἐπίσημον, *nomine Barabbam.* & Rom. XVI. 7. *Salutate Andronicum & Juniam*, οἵτινές εἰσιν ἐπίσημοι ἐν τοῖς Ἀποστόλοις, h. e. *qui sunt* ὀνο-

a *Pag.* 562. b *Pag.* 675. c *Pag.* 159. d In *princip.*

ὀνομαστοὶ, *Celebres*, *apud* vel *inter Apostolos*. Sed clarissime Vox ἐπίσημα simpliciter pro Nominibus poni videtur apud Arrianum in *Periplo Maris Erythræi* [a], ubi dicuntur Barygazis etiamdum exstare παλαιαὶ δραχμαὶ, γράμμασιν Ἑλληνικοῖς ἐγκεχαραγμέναι ἐπίσημα τῶν μετ' Ἀλέξανδρον βεβασιλευκότων, Ἀπολλοδότου καὶ Μενάνδρου, *antiquæ drachmæ, Græcis literis inscripta habentes nomina Apollodoti & Menandri, qui post Alexandrum istic regnaverunt*. Sic enim vertenda hæc arbitror, ut ἐπίσημα sit Accusativus, usitatissima Græcorum Syntaxi constructus cum proximo sibi Participio, notetque *Nomen* vel *Designationem* illorum Regum, quæ quia *literis* facta dicitur, necessario itaque consistere debuit in *Nominibus* ipsis, prout etiam Nummi istius temporis sola plerumque Nomina Regum præferunt. Interpres Doctissimus, Gul. Stuckius, locum hunc parum intellexisse videtur, siquidem reddit, *Græcis sculptæ literis cum insignibus Apollodoti*, *&c.* quasi Arrianus scripsisset σὺν, vel καὶ ἐπισήμοις. Rectius fecisset mea sententia, si τὸ ἐπίσημα tanquam per Appositionem retulisset ad τὸ δραχμαὶ, ut ita drachmæ hæ dicerentur fuisse, præterquam quod Græcis

T lite-

a Pag. 15. Edit. Stuck. Pag. 27. Ed. Oxon. Pag. 169. Ed. Blanc.

literis erant sculptæ, etiam ἐπίσημα illorum Regum, h. e. eorum *effigiem*, *typum* aut *qualemcunque designationem habuisse*, quemadmodum sic passim qualicunque nota signatum argentum dicitur ἀργύριον ἐπίσημον, ut ostendimus ad Æliani *Var. Hist.* 1. 22. Quod & ipsum tamen si voluisset Arrianus, scripsisset, ut opinor, potius ἐπίσημοι. Sed vel sic hoc ipsum vocabulum, cum Genitivo ita constructum, declarat, rem, de qua agitur, præferre alicujus *Nomen*, vel ab aliquo esse *denominatam*. Sic Anton. Liber. *Fab.* 25. *extr.* ἱδρύσαντο δὲ πάντες ἐν Ὀρχομένῳ ἱερὸν ἐπίσημον τῶν Παρθένων τούτων, *constituerunt omnes in oppido Orchomeno templum ab hisce Virginibus denominatum*, seu *Harum virginum nomine insignitum*, dum dicebatur *illarum Templum*. In hac ergo significatione & constructione vox hæc prorsus quoque congruit cum Voce Ἐπώνυμος. Sic enim Magistratus, qui Nomen dabant Annis, & Heroës, qui Tribubus Atticis, Ἐπώνυμοι passim dicuntur.

CAP.

C A P. XII.

Turris erat Σῆμα *idoneum Hominibus, ne diſpergerentur, dum ejus ope poterant identidem reperire denuo locum ſuæ Habitationis. Similes ejus generis Turres.* Aben-Ezra *recte expoſuit uſum Turris, ſed peccavit in* Nomine (Sêm) *explicando. Rectius* Toſtatus Abulenſis. *Homo ab natura odit ſolitudinem, & quærit convictum aliorum Hominum. Accedit metus Ferarum in ſolitudine.* Nimrodus *per venationem ferarum ſibi potentiam comparavit & Regnum.* לפני יהוה *quid notet. Heroës Græci per venationem & cædem ferarum evaſerunt illuſtres. Feræ infeſtarunt olim quam maxime terras & homines. Earum ideo frequens mentio etiam in S. Literis. Primi Homines fuerunt Nomades ſeu Paſtores, & ideo habitarunt in tentoriis. Paſtores vagari lon-*

gum latumque cum ſuis pecoribus ſolebant: etiam illi, qui jam ſtabilem ſibi ceperant ſedem. Terra Sinear, ſeu Babylonica, erat fertilis, & plana ac æquabilis, atque ideo idonea Turri e longinquo videndæ.

SIC ſatis demonſtratum jam putem, Hebraicum Σημ ſignificaſſe etiam *ſignum*, non tam ex ipſis Hebraicæ Linguæ reliquiis, quam ex vocabulis aliarum Linguarum, manifeſte a τῷ Σημ derivatis. Videndum nunc, quam opportuna huic Geneſeos loco ſit hæc interpretatio, & quam pulchre per eam omnia jam iſtic cohæreant, quæ ceteroqui nullam plane habebant connexionem, atque idcirco Interpretes Græcos alioſque uſitatam & certam connectentis particulæ פֶּן ſignificationem relinquere, & alienum omnino ſenſum exprimere, adegerant. Nimirum Turri extruenda fecerunt ſibi Σῆμα, quod eum habebat uſum, ut eminus conſpectum homines, in longinquis locis ſecurius jam cum pecoribus ſuis errantes, facile ſemper reduceret ad ſua, & ita caveret, ne illi hiſce erroribus, in paſcendis pecoribus uſuvenire ſolitis, in perpetuum

tuum ab ſe invicem divellerentur ac diſpergerentur, quod evenire facillime in iſto præſertim Tempore & Terra poterat, absque tali Turri eſſet. Vide ſupra *pag.* 260. Ea itaque gratia Turris hæc dicitur *cacumen* habitura *in cœlo*, h. e. altiſſima futura (Vide de iſta phraſi Doctiſſ. Bochartum *Phalegi* I. 13.) nempe ut undique e longinquo maxime ſpatio conſpici poſſet in terra æquabili, & quaqua verſum plana. Prorſus uti Pharos, turris item altiſſima, exſtructa fuit in inſula cognomine, Alexandriæ oppoſita, ut lumen ex ea præberetur Navigantibus ἐπὶ πολὺ τῆς θαλάττης, *in longum Maris ſpatium*, ut ait Lucianus *de Conſcrib. Hiſtoria* [a]. Et ad hoc exemplum Caligula quoque apud *Sueton. c.* 46. *Altiſſimam turrim excitavit, ex qua, ut ex Pharo, ad regendos navium curſus ignes emicarent.* Adde his vel maxime *Turres, quas in deſerto ædificavit Uzias, quia pecore abundabat*, 2. Chron. XXVI. 10. Neque enim alium illæ habebant uſum, quam ut Paſtores ipſius, iis conſpectis, tanto facilius undique ad ſuos ſe recipere poſſent.

Iſtum Turris in terra Sinear a Noachidis exſtrui cœptæ uſum perſpexiſſe quoque AbenEzram, & recte expoſuiſſe ad

T 3 *h. l.*

a *In fin.*

h. l. deprehendo, nisi quod Vulgatam retineat τῷ שם significationem, & de *Nomine & Laude* apud posteros interpretetur. Nam ait, *propositum illorum & mentem fuisse, ut ædificarent Urbem Magnam sibi in Habitationem, & Turrim excelsam,* להיות להם לאות ולשם ולתהלה / *ut esset sibi in signum, & in Nomen, & in Laudem.* At quomodo in *Signum?* לדעת מקום עיר להלכים חוצה כרועי המקנה / *ut scirent*, vel *agnoscerent, locum Urbis euntes foras, tanquam Pastores pecoris.* In *Nomen* vero & *Laudem*, quia *durabit Nomen eorum post ipsos omnibus diebus Turris. Et hoc est* (addit) *quod dicit Scriptura, Et faciamus nobis Nomen.* In quibus omnia satis recte se habent, nisi quod *Nomen & Laus post ipsorum mortem* nihil prorsus pertineant ad cavendum præsens malum, quod sibi tunc metuebant, & quod cum illo, *Faciamus nobis Nomen* (*Sêm*) arctissima ratione connectunt, scilicet, *Ne dispergamur in superficiem totius terræ.* Certe illud si voluisset Moses, aliter haud dubie verba ordinasset, nimirum, *ædificemus nobis Urbem & Turrim usque in cœlum, ne dispergamur, atque ita faciamus nobis Nomen apud posteros*, relicturi scil. etiam ipsis hanc Turrim, tam idoneam ad cavendam dispersionem, quamdiu ea nondum erit illis necessaria.

Li-

Liquidius multo veram & commodam prorſus totius Hiſtoriæ connexionem & ſententiam pervidit inter Chriſtianos Peritiſſimus Interpres, Toſtatus Abulenſis, cujus verba ad hunc Locum, quia deprehendi meæ interpretationi prorſus congrua, adſcribere volui, licet ſtylo barbara, ſed iſti ætati condonanda: *In Litera Hebraica*, ait, *eſt*, *Ne diſpergamur*; *intelligebant enim*, *quod Turris eſſet tantæ altitudinis*, *quæ cœlum videbatur tangere*, *quaſi ubique terrarum*, *vel ſaltem in magna parte*, *videri poſſet*: *Et eam groſſiſſimam & amplisſimam fecerunt*, *ſcilicet*, *quod*, *quando aliquis vellet recedere ex aliqua cauſa a civitate illa*, *ubicunque eſſet*, *videret illam Turrim*, *& ſciret poſtea redire ad civitatem*: *quod non contingeret*, *ſi non eſſet illa Turris ſic altiſſime poſita*, *quia cum nondum eſſent itinera*, *per quæ Homines ſcirent ire & redire*, *indigebant aliquo alto ſigno*, *ut venirent*, *ne perderentur abeuntes*, *& diſpergerentur per totum Orbem*; *Et iſtam intentionem tangit aliqualiter AbenEzra*. *Nec credo*, *quod ſit aliqua verior iſta*, *& ita concordans verbis textus & rectæ rationi*. Et mox, quum locutus eſſet de Græca & Vulgata Verſione, *antequam diſpergamur*, ſubjicit iterum: *Sed tenendo literam Hebraicam*, *dicendum neceſſario*, *quod homines intendebant*

ſimul manere omnes non longe ab illa turri, & ideo volebant eam facere talem, ut ubique eam videre poſſent, & non errarent, ſed redire ſcirent ad locum, & tunc Celebrare Nomen *eſſet, facere Rem, ubique vel ex quocunque loco cognoſcibilem.* Hoc vero, quid eſt aliud, quam Facere Signum, undique & ubique conſpicuum?

Jam vero velim mihi quis conferat hanc exſtruendæ Turris Rationem cum iis, quas alii dederunt, quaſi ſcil. ea ſe munire voluerint Primi Homines contra Diluvium, ſi forte Deus iterum illis immitteret, vel contra Incendium, ſi eo perdere vellet genus humanum, vel ut in ejus cacumine excitarent Idolum, vel ſimpliciter, ut ea Ornarent ſuam Urbem quaſi Inſigni quodam Metropoleos, vel Politicæ aut Eccleſiaſticæ Poteſtatis. Quæ enim in his omnibus veri ſpecies, quod juſtum verumque tantæ operæ pretium? Contra nihil non in noſtra exſtruendæ Turris Expoſitione veriſimile, nihil abſonum, nihil violentum. Omnia pulchre cohærent, certamque & conſiliis Hominum congruam utilitatem continent, id quod clarius ex ſingulis Hiſtoriæ totius circumſtantiis, ſeu ex Hominum ipſorum *Sede*, quam ceperant, *Tempore*, quo vixerunt, *Vita & Fortuna*, quam habuerunt,

runt, liquebit. Summa Hiſtoriæ eſt, quod metuebant, *ne diſpergerentur* in vel ex ea Terra, quam Habitationi ſuæ præ aliis elegerant, atque ita ab ſe invicem divellerentur. Eſt enim Homo ab Natura ſua alienæ opis ut indigens, ita expetens, atque adeo ejusdem Naturæ primævo inſtinctu mutuam ſocietatem & convictum quærit, ægreque ab omnibus iis, quibuscum vivere conſuevit, in triſtem in primis & horridam ſolitudinem avellitur. Adeo verum hoc eſt, ut ideo Veteres recentioresque, ſeu Politici, ſeu Philoſophi, pene uno ore clamitent, Hominem ab natura factum, & idcirco ab natura ipſa etiam ferri, ad convictum; ſolitudinem vero averſari. Audiamus Ariſtotelem *Polit.* III. 4. ubi quum repetiviſſet, quod *lib.* I. *cap.* 2. probaverat, Hominem eſſe φύσει ζῶον πολιτικὸν, h. e. *ab natura factum, vel aptum natum, ad Societatem Civilem*, ſubjicit, διὸ καὶ μηδὲν δεόμενοι τῆς παρ' ἀλλήλων βοηθείας, οὐκ ἔλαττον ὀρέγονται τοῦ συζῆν· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸ κοινῇ συμφέρον συνάγει, καθ' ὅσον ἐπιβάλλει μέρος ἑκάστῳ τοῦ ζῆν καλῶς: *Idcirco etiam qui nihil indigent alter alterius ope, nihilo tamen minus appetunt convictum: immo etiam communis utilitas jungit homines, in quantum ea res confert ſingulis partem Bene & commode vi-*

vendi. Neque vero negare id audet Hobbesius, qui ceteroquin audet omnia, ut ex homine belluam, ab omni pace & societate naturaliter alienam, faciat. Nam quum *Lib*. I. *de Cive* cap. 1. negasset receptissimum olim axioma, *Hominem esse animal aptum natum ad societatem*, scil. Civilem, in Notis tamen largitur, *Homini per naturam solitudinem perpetuam molestam esse*, immo *Homines, alterum alterius congressum natura cogente appetere*, quia *infantes ad Vivendum, adulti ad Bene vivendum, aliorum ope indigeant*. Sufficiunt illa nunc nobis, ut liqueat, naturale esse Homini fugere & cavere solitudinem, atque idcirco verisimile, illos Homines, qui secundum Naturam maxime vivebant, præcipuam revera dedisse operam, ne ab se invicem in solitudines dispergerentur.

Opera hæc tanto justior apparebit & probabilior, si cogitetur, non simplicem fuisse eam solitudinem & aberrationem, quam adeo horrebant, sed cum periculo conjunctam maximo a feris bestiis, quæ in solitudinibus vagari, grassarique in homines in iis deprehensos solent. Egregia sunt in hanc sententiam verba Senecæ *de Beneficiis* IV. 18. Societatem humanam illa maxime ratione commendantis: *Nam quo alio tuti sumus, quam quod Mutuis juvamur offi-*

officiis? Fac nos Singulos; quid ſumus? Præda Animalium, & Victima, ac imbecilliſſimus & facillimus ſanguis, quoniam ceteris animalibus in tutelam ſui ſatis virium eſt. Quæcunque vaga naſcuntur, & actura vitam ſegregem, armata ſunt; Hominem imbellia cingit; non unguium vis, non dentium, terribilem ceteris facit, nudum & infirmum Societas munit. Metuebant ergo & illi, qui pauci adhuc erant in Orbe terrarum, ſummo jure, ne facti per fortuitos errorum caſus prorſus Singuli, præda quoque fierent ferarum.

Non temere hæc dici, ſeu non temere in hac *Diſperſionis* cavendæ Hiſtoria poni metum Ferarum, concedent facile, qui mecum perpendent, ex earum venatione & cæde primis temporibus præcipuam gloriam ubivis gentium ortam, immo complura earum homines & armenta infeſtantium in ipſo Veteris Scripturæ codice reperiri exempla. Neque vero dubito, quin hoc ipſo tempore Nimrodus ea maxime re ſibi exiſtimationem & gloriam, vel potius auctoritatem & potentiam, inter illos Homines comparaverit, quod erat fortis & *validus Venator*, ſiquidem Geneſ. x. 9. diſerte dicitur fuiſſe גבור ציד לפני יהוה *potens venatione coram Deo*. Non ignoro equidem, fuiſſe & eſſe

quam.

quamplurimos, qui hanc quoque phrasin figurate interpretari malint, ac si ea significaretur, fuisse Nimrodum *Venatorem Hominum contra Deum*, h. e. cepisse animos Hominum, traxisse eos in suas partes, & excitasse ad rebellionem contra Deum; vel simpliciter, oppressisse homines simul, & rebellasse contra Deum. Sic certe Augustinus *de Civ. Dei*, XVI. 4. *Quid autem significatur hoc nomine, quod est Venator, nisi animalium terrigenarum deceptor, oppressor, extinctor?* Idem τὸ לפני יהוה interpretatur *contra Deum*, & diserte rejicit illud, *coram*, vel *ante Deum*. Sequitur eum Joh. Sarisberiensis *Policrat. lib.* 1. *cap.* 4. *pag.* 13. & *lib.* 8. *cap.* 20. p. 559. immo Nic. Abramus *Phari* V. 5. 16. *Communis est sententia*, inquit, *Venatorem Metaphorice dici.* Ego vero accedo illis, qui proprio & recto sensu dici, Nimrodum fuisse *Venatorem ferarum*, censent, ut faciunt AbenEzra, & maxime Bochartus *Phalegi* IV. 12. Etenim neutiquam puto, in Historica narratione vocabulum aliquod metaphorice potius accipiendum, quam proprie, maxime quum propria istius vocabuli significatio est receptissima; nisi talia addantur, quæ usitatum & genuinum ejus sensum relinquere, & allegoricum ac figuratum quærere palam nos ju-

jubeant. Ceteroquin enim nihil certum, nihil conſtans, immo nihil non ambiguum & obſcurum in interpretando habebimus. In hoc vero loco, in quo uno Moſes agit de Nimrodo, nihil prorſus de eo dicitur, quam quod *cœperit potens eſſe in Terra*; quod *fuerit potens venatione coram Domino, & idcirco dicatur* vulgo per adagium, *ſicuti Nimrod potens venatione coram Domino*, quod denique *Regnum ipſius fuerit in Terra Sinear*. Nihil utique in his, quod allegoricum nos adigat præferre ſenſum, præterito prorſus ac neglecto proprio, primitivo, & ſimul uſitatiſſimo. Nam illud, *Coram Domino*, eſt frequens Hebræis locutio, quæ variis rebus jungitur vario ſenſu. Conferri cum hoc loco poſſunt Geneſ. XXVII. 7. *Et benedicam tibi* לפני יהוה *in conſpectu Dei, antequam moriar*. Pſalm. LVI. 14. in ipſa ad Deum oratione: *Nam eripis animam meam a morte, pedes meos a lapſu, ad ambulandum* לפני אלהים *in conſpectu Dei, aſſidue in luce hujus vitæ*. Et LXXII. 17. *Et erit Nomen ejus in Seculum*, לפני שמש *in conſpectu Solis propagabitur Nomen ejus*. In quibus phraſis illa ſignificat vel intenſionem rei, cui jungitur, vel ejus excellentiam, vel potiſſimum id, quod palam, feliciter, confidenter, ſecure, & ita, ut deſideretur in eo nihil,

fit,

fit, quasi in conspectu & sub praesidio Dei. Sed & liquet ex loco Psalmi LVI. esse simplicem phrasin, non semper in animo Scriptoris relatam diserte ad Deum (nam ceteroqui dicere istic debuisset David *in conspectu Tuo*) atque adeo vulgari in usu, quasi commune adagium, jungi posse etiam rebus a Deo non probatis, quae tamen ab hominibus confidenter vel excellenti modo Palam & Plene fiant. Conveniunt autem illa omnia huic Historiae & Venationi Nimrodi, ut dicatur, vel *vere*, vel *excellenter*, vel *audacter validus*, seu, ut Bochartus, *quam maxime potens*. Vide eum pluribus id probantem dicto jam loco. Neque vero capio, quo jure alius Illustris Interpres simpliciter neget, *de venatione Ferarum hoc intelligi posse, quia Moses dicat adagium inde exortum esse*. Quid enim? an minus a vera *venatione ferarum* adagium aliquod vulgaris usus potuit oriri, aut sumi, quam postea inter Israëlitas ex eo, quod alicui forte exciderat, *an Saul etiam inter Prophetas?*

Adde jam, dici, Nimrodum primum fuisse *potentem in terra*, h. e. inter homines, immo primum sibi constituisse Regnum: neque ullam in S. Scriptura exponi vel memorari rationem, qua eam potentiam sibi comparaverit, aut qua ita

bene

bene meritus fuerit de reliquis hominibus, qui utique adhuc omnes tunc æquali inter ſe jure (excepto tantum eo, quod ex relatione Patrum & Liberorum inter ſe oritur) agebant, ut ejus auctoritati, immo Regiæ poteſtati, morem gererent, ſeque ſubmitterent, niſi illam unam, quæ a valida, animoſa, & felici *Venatione* ducitur. Hanc enim ſi recipimus, omnia pulchre cohærent, ut ſtatim, poſtquam dictum eſt, illum primum *potentem* fuiſſe *in terra*, ſubjiciatur ejus quaſi ratio, quod nempe rebus ipſis, certis ac ſolidis beneficiis, devinciret ſibi iſtius temporis Homines, dum feras beſtias eos infeſtantes identidem capiebat vel occidebat. Ita ergo Sodales ſibi primum & Comites, tum Factionem in conjuncto adhuc cœtu Hominum, denique Regnum paravit. Neque ille ſolus iſta ratione apud ceteros homines ejusdem regionis gloriam, gratiam, & potentiam ſibi invenit, ſed & plerique Heröes Græciæ. Ita inter illuſtres Herculis labores refertur vel maxime cædes Leonis Nemei, tam glorioſa tunc habita, ut non modo ipſe perpetua ejus cædis monumenta & ſpolia, pellem leoninam, ſecum ſemper geſtarit, ſed & poſteri ejus hoc veluti inſigni gentilicio, dum iſta pelle tegebant ſibi

ca-

caput quaſi galeâ, ornari voluerint in Nummis, ſeque ita Heraclidas declarari: Tum cædes Erymanthii Apri, qui Arcadiam vaſtabat, & Cervi Parthenii, aliorumque. Sic quia Theſeus Cretæum Taurum, qui Marathonem infeſtabat, & Aprum Cromyonium occidit, ejus laudes ita apud Ovidium *Metam.* VII. 433. celebrantur,

Te, maxime Theſeu,
Mirata eſt Marathon Cretæi ſanguine Tauri,
Quodque ſuam ſecurus arat Cromyona colonus,
Munus opusque tuum eſt.

Quin juſtam pene expeditionem in hujusmodi Feras ſusceptam, ex notiſſima Apri Calydonii Hiſtoria abunde conſtat. Sed & ita, cum Lupus vaſtaret armenta Pelei, Ceyx Hoſpes ejus,

Induere arma Viros, violentaque ſumere tela
Rex jubet Oetæus, cum queis ſimul ipſe parabat
Ire.

apud Ovid. *Metam.* XI. 382. Hinc igitur Xenophon poſterior [a] in *lib. de Venatione*, in-

[a] Is ipſe Arrianus eſt, ex ſententia Virorum Doctorum. Vid. Clar. Fabricium *Biblioth. Graec.* IV.

inter opuscula Arriani, affirmat ipſo in initio, a priore Xenophonte in ſimili libello traditum, *quanta bona hominibus a Venatione obveniant, & quomodo hanc Venandi ſcientiam a Chirone edocti, & Diis grati, & honore ac gloria illuſtres per totam Græciam fuerint.* Immo etiam diu poſtea, certe *apud Macedonas moris erat, ut nemo ad menſam accumberet, niſi qui Aprum extra retia confodiſſet, ſed ſederent omnes, usque dum illud feciſſent*, ut nos docet Athenæus I. 14. addens *Caſſandrum ideo ſedentem*, licet *jam eſſet triginta quinque annorum, apud Patrem ſuum coenaviſſe, quia facinus illud perficere nondum potuerit, quamvis eſſet fortis & bonus venator.* Denique in India Paſtores, ἀσκȣ̃ντες εἰς ταῦτα καὶ φιλοπονοῦντες, quaſi id negotium ſibi unice mandatum haberent, ut κυνηγετοῦντες καθαρὰν ποιῶσι τὴν χώραν ὀρνέων καὶ θηρίων, *Venantes puram a volucribus & Feris redderent regionem*, ut tradit Diodorus Siculus *lib.* II. *p.* 88. addens *eam* ceteroqui *fuiſſe plenam* παντοδαπῶν θηρίων, *omnis generis Ferarum.* Manifeſtum ex his, quam neceſſaria & utilis tunc publico, atque ideo glorioſa ſingulis, fuerit hæc majorum maxime Ferarum Venatio.

V In

IV. 8. 1. in *Notis*. Add. Voſſium de *Hiſtoric. Graec.* II. 11. & Dodwellum in *Diſſertat. de Aetate & Auctore Peripli Maris Erythraei*, §. 6.

In primis vero ita ſe res habuit antiquiſſimis quibusque temporibus, quoniam tunc pauciores ubivis gentium adhuc erant homines, & idcirco vaſtiores ſolitudines, audacioresque & magis noxiæ Feræ. Diſerte ita Pauſanias in *Atticis*, *cap.* 27. *fuisſe olim Belluas hominibus formidoloſiores* tradit, *veluti Nemeum & Parnaſſium Leones, Dracones in pluribus Græciæ locis, tum Apros, Calydonium, Erymanthium, & Cromyonium.* Neque vero minus Orientem infeſtaſſe hujusmodi Belluas, ex multis Veterum Scriptorum Locis, & Hiſtoriarum exemplis, probari poſſet. Uno nunc erimus contenti ex profanis allegando, de quo velim videas Herodotum I. 36. & ſeqq. audias vero breviter rem ipſam, quantum nobis ſufficit, ex Herodoto narrantem Valerium Maximum I. 7. *cum ingentis Magnitudinis aper Olympi Montis* (in Myſia) *culta, crebra cum Agreſtium ſtrage vaſtaret, inuſitatoque malo Regium* (Crœſi) *imploratum eſſet auxilium* &c. *Inuſitatum* quidem vocat hoc malum, quia extraordinarium erat, ſeu ſolitis malis gravius. Nam certe Herodotus, unde hæc hauſit Valerius, tantum abeſt ab eo, ut inuſitata prorſus putet hæc a Feris mala, ut e contrario gloriam & decus tunc juvenes ſibi conciliare ſolitos maxime ex *Bello* & tali *Venatione*, dicat.

Sed

Sed non opus his immorari, quum ex ipsis abunde constet S. Literis, quantopere in Cananæa & vicinis regionibus grassatæ fuerint Feræ. Sic *Leo obviam factus Simsoni*, quando cum Matre & Patre proficiscebatur recto itinere Timnatham, Jud. XIV. 5. Et *Davidi pascenti gregem patris sui surripuit pecudem* modo *Leo, modo Ursus*. 1. Sam. XVII. 34. Atque ideo nihil promptius fuit Jacobi Filiis, aut visum verisimilius, quam ut constituerent *mentiri apud Patrem suum* de Josepho, quem interficere tunc volebant, eum *a mala esse Bestia devoratum*, Genes. XXXVII. 20. Neque vel minimum dubitavit dein Pater, quum videret Tunicam Filii, sanguine infectam, quin asseveraret, *Omnino discerptus est a Bestia* §. 33. Deus quoque minatur Judæis, per causam improbitatis eorum fore, ut *occidat eos Leo ex Sylva, ut lupus vesperi accurrens vastet eorum agros, ut pardus observet eorum Urbes, ac discerpat omnes ex iis egredientes*, apud Jeremiam V. 6. ex quo ipso patet satis, tales bestias fuisse ea in regione frequentes, sed quæ tamen terra vastata essent majorem in modum invalituræ. Sed maxime notatu dignum, tum quod Exodi XXIII. 29. Deus promittit Israëlitis, *se non expulsurum Cananæos uno anno, ne Terra evadat vasta, & prævaleat*

supra Israëlitas Bestia agri; tum quod 2 Reg. XVII. 25. 26. quum Israëlitæ ex sua terra essent deportati, eaque jacuisset aliquandiu desolata, populi, qui aliunde postea istuc ab Assyriis fuerant traducti, dicuntur *in principio a Leonibus statim vexati*. Jam si ita evenit istis hominibus in terra, quæ incolis suis paulo ante fuerat exhausta: si idem metuendum & certo pene eventurum fuisset Israëlitis, si uno anno exstinguerentur Cananæi, quoniam tunc horum terra non ita confestim incoli & occupari tota ab illis potuisset, quin magna ejus pars relinqueretur solitudinibus & lustris ferarum; quis ergo dubitare queat, primos illos & paucos numero Homines, in sola tunc terra Sinear habitantes, multum quoque incommodi & mali passos a feris, si paulo longius a ceteris abirent cum suis pecoribus, quippe quum reliqua Terra omnis esset adhuc Belluis quasi dedita, eæ autem in solitudinibus quidem, sed juxta Hominum sedes, vagari maxime soleant, ut ex eorum pecoribus cibum sibi quærant? Quis porro dubitet, optime igitur de illis meritos, qui Feras, a quibus vexabantur, cepisset vel occidisset, nec ulla alia ratione certius quempiam & facilius gloriam sibi tunc & *potentiam* potuisse comparare, quam tal

Ve-

Venatione? Quin immo quis jam amplius dubitare ausit, Nimrodum vere *Ferarum* fuisse *Venatorem*, & ea potissimum via ad illam *potentiam*, immo ad *Regnum*, escendisse, præsertim quum in ejus descriptione, præter illam *potentiam* & *Regnum*, nihil aliud, sed hoc unum diserte & simpliciter memoretur, quod fuerit *validus Venator*, & audax, quasi Dei præsidio tutus aut securus? Denique, quis dubitet etiam, si apud illos Homines talis *ferarum Venatio* tam gloriosa, & gratiosa, ac ad *potentiam* sibi faciendam tam idonea fuit, & si Nimrodus inter illos hoc solo merito Rex evasit, maxime ergo illos propter periculum a Feris metuisse dispersionem ab se invicem in sola loca, sive voluntariam, sive fortuitam; atque adeo lubentes, tantum ad eam evitandam aut cavendam, tantæ molis & operis Turrim exstruere cœpisse, cujus ceteroqui tanto cum labore exstruendæ nullam aliam satis idoneam causam, aut fructum, habere poterant.

Quin patebit hoc ipsum multo etiam clarius, si, quæ Vita primorum Hominum fuerit, consideretur. Nimirum Nomades illi erant, & pastores. Hinc incertis sedibus vagati sunt Nomadum more per Orientem, usque dum venissent in Terram Sinear, ubi primum voluerunt

ſibi excitare עיר h. e. *ſtabilem & certam habitationem*, quomodo accipiendum eſſe in antiquiſſimis Hiſtoriis hocce vocabulum, in ſuperioribus jam docui. Ratio autem iſtius conſilii, & figendæ jam illic in perpetuum Sedis, fuit, quod Terra iſta erat maxime paſcua, & pecoribus, unde illi potiſſimum vivebant, opportuna. Fertilitatem ejus adeo extollit Herodotus I. 192. 193. ut poſtquam eam pluribus probaſſet, tandem *incredibilem* dicat *fore iis, qui terram nunquam viderint*. Plinius *Nat. Hiſt*, VI. 26. breviter ait, eſſe *agrum totius Orientis fertiliſſimum*. At Curtius V. 1. *tam uberi & pingui ſolo, ut a* P A S T U *repelli Pecora dicantur, ne ſatietas perimat*. At vero Paſtoria illorum vita manifeſtiſſime declaratur etiam eo, quod paſſim dicuntur habitaſſe *in Tentoriis*, ut ſolebant Nomades. Sic enim Gen. IX. 27. de Japheto, *habitabit in tentoriis Semi*. Et §. 21. Noachus dicitur jacuiſſe ebrius *in medio tentorii ſui*. Res clariſſima eſt ex Abrahami Hiſtoria, qui nullam in terra Canaanis habuiſſe legitur certam Sedem, ſed identidem *moviſſe Tentoria* ſua ex uno loco in alium. Primo enim habuit tentoria *Sichemi*, dein *Bethele*, ubi etiam ædificavit Deo altare, ſed mox etiam inde movit *verſus Auſtrum*, tunc in *Ægyptum*, unde po-

postea rediit eadem via *Bethelem*. Verum quum haberet penes se Lotum, & uterque abundaret *gregibus*, *armentis*, *& tentoriis*, adeo ut *non possent habitare simul*, & jam *rixæ exorerentur inter utriusque Pastores*, secesserunt ergo ab se invicem, & Lotus quidem *movit tentoria Sodomam usque*, at Abrahamus *in planiciem Mamræ*, Vide Genes. XIII. Vere itaque Filii Israëlis ad Pharaonem Genes. XLVI. 34. & XLVII. 3. 4. *Se a Pueritia sua*, *& Majores suos fuisse Pastores*; *venisse* itaque *cum gregibus & armentis in Ægyptum*, *quia in terra Cananæa non amplius esset pabulum pecoribus*; *venisse* autem, non ut Ægyptum occuparent, vel possiderent istic agros, aut vineas, sed tantum לגור בארץ *ut inquilini essent in ea terra*, *peregrinarentur in ea*, tanquam Pastores in Tentoriis habitantes, & nihil terræ habentes sibi proprium. Plane ut Rechabitæ postea, qui Veterem hanc vitæ sectam colentes, *habitabant* itidem *in Tentoriis*, nec licebat iis habere *domos*, *agros*, *vineas*, Jerem. XXXV. 7. 9. Adde tandem Josephum *lib.* I. *contra Apion.*[a] qui probaturus illos *Pastores*, qui Ægyptum quondam tenuerunt, fuisse Israëlitas, ait, καὶ γὰρ τοῖς ἀνωτάτω Προγόνοις ἡμῶν τὸ Παμαίνειν πάτριον ἦν, καὶ Νομαδικὸν ἔχοντες τὸν

 βίον,

[a] *Pag.* 1040.

βίον, οὕτως ἐκαλοῦντο Ποιμένες, *Nam & antiquissimis Progenitoribus nostris Pascere fuit Patrium, & agentes vitam Nomadum, inde vocabantur Pastores.* Quin multi etiam diu postea Populi retinuerunt priscum hunc morem, veluti *Hamaxobii* in Scythia, *Scenitæ* in Arabia, *Nomades* seu *Numidæ* in Africa. Sed & aliorum ex Historiis si vellem colligere exempla opulentissimorum Hominum, etiam Regum, qui habuerint sua armenta, eaque non tantum per famulos, verum etiam per uxores ac liberos suos paverint, vix finem hæc dissertatio reperiret. Vide Anton. Liber. *Fab.* 7. & 32. & confer cum Exod. cap. 2. ubi Filiæ quoque Jethronis, qui tamen fuit כהן מרין h. e. unus ex *Proceribus* seu *Sacerdotibus Midianitarum*, *pavisse* gregem Patris sui dicuntur.

Jam vero illorum Nomadum seu Pastorum consuetudo erat, ut cum suis armentis & gregibus non in uno hærerent loco, sed per totam vagarentur regionem. R. Sal. Jarchius hanc pascendi rationem ita exponit ad Genes. IV. 20. de Jabale: *Hic primus fuit, qui pecudes pavit in Desertis, & habitans in Tentoriis, ea movit, prout deficiebat pabulum pecoris sui; quando deficiebat pabulum in loco hocce, abibat ille, & figebat Tentorium suum in loco alio.* Talem vitam egisse Abrahamum cum Loto paulo ante

ante ostendimus. Sed & Pastores Indorum ait Diodorus Sicul. *lib.* II. *d. l. Urbem aut Pagum nullum incoluisse, verum vitam egisse Sceniticam*, h. e. vixisse in Tentoriis, non in stabili aut certa Urbis vel Pagi alicujus Sede. Idem fere de Scythis & Nomadibus testantur plerique. Instar omnium sit Justinus II. 2. de Scythis in universum: *Hominibus inter se nulli fines. Neque enim agrum exercent, nec Domus illis ulla, aut tectum, aut Sedes est, armenta & pecora semper pascentibus, & per incultas solitudines errare solitis. Uxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus, coriis imbrium hyemisque causa tectis, pro Domibus utuntur.* Adde Pomp. Melam I. 8. de Populis ultra Cyrenaicam in Africa habitantibus, *Sequuntur vagi pecora, utque a pabulo ducta sunt, ita se ac tuguria sua promovent, atque ubi dies deficit, ibi noctem agunt.*

Sed & qui certas jam Sedes habebant, & armenta pascebant per alios, sive liberos suos, sive servos, dimittebant tamen & illi sua pecora in remotam sæpe & longinquam ab suis domibus regionem, vel certe eorum Pastores ultro ita cum pecoribus passim vagabantur, & per solitudines uberiora quærebant pascua. Ast ita sæpe factum, ut inciderent in Feras, & certamina cum iis inire deberent, ut vel ex Davidis

adhuc Juvenis exemplo ſupra memorato liquet. Immo hinc arbitrer ferme ortum, quod Romani inter ſpectacula ſua exhibuerunt *Venationem* quoque ſic proprie dictam, h. e. pugnam cum feris beſtiis, haud dubie, ut ex iis homines diſcerent, quomodo ſe contra feras in agris & ſaltibus ſibi forte obvias tueri deberent. Quod autem ita longe lateque erraverint Paſtores, certis licet Sedibus jam affixi, ex S. Scriptura iterum idoneis doceri poteſt exemplis. Etenim quum Laban habitaret Charane, eique ſerviret Jacobus, ac ſeparatim paſcerent greges uterque, *interpoſuere inter ſe ſpatium itineris trium dierum*, Geneſ. xxx. 36. atque ideo, quum Jacobus ſe clam & ignaro Labane ſubduxiſſet ex Meſopotamia & convictu Soceri, ille, qui *ad tondendum oves ſuas abierat*, demum *die tertio* poſt reſcivit hanc Generi *fugam*, Geneſ. xxxi. 19. 22. Sic quum ipſe Jacobus deinde jam Senior, & ideo conſtantius, habitaret *Hebrone*, filii ejus *paſcebant gregem apud Sichemum*, & inde *abierant Dothanem*, quapropter Joſephus frater eorum a Patre ad eos, ut in eorum ac gregis ſalutem inquireret, miſſus *Sichemum verſus*, *erravit per agrum*, donec ab obvio cognoſceret, ubi eſſent fratres, Geneſ. xxxvii. 12. . . . 17. Similiter quum Moſes *paſceret gregem*

Je-

Jethronis Soceri sui, quem antea paverant istius *Filiæ*, *processit cum eo grege in Desertum*, *usque ad Montem Horebum*, erroribus dein Israëlitarum terram Cananæam petentium satis celebrem, Exod. III. I. Hinc ergo petenda jam est ratio quoque ejus, quod multis sæculis post Uzias Rex Judæ, *eo quod pecoris multum sibi esset*, *ædificavit in DESERTO TURRES*, *& fodit cisternas*, 2. Chron. XXVI. 10. quod supra jam *p.* 293. commemoravimus.

Quum itaque Primi Homines in Terra Sinear, quam habitationi suæ præ ceteris, ut pascendis & alendis pecoribus maxime idoneam, delegerant, *Dispersionem* ex ea unice dicantur cavere voluisse; quum etiam conveniens sit, metuisse eos horridam & tristem solitudinem, grassantesque in ea Feras; & tamen, quia Nomades erant & Pastores, atque ideo pecora sua sequendo, sæpe in remota plane pascua a reliquis abibant, necessario nonnulli, longius per imprudentiam aberrantes, vel in perpetuum a suo cœtu avellerentur, vel certe eum difficulter prorsus, nec nisi post multas & molestas ambages, rursus reperirent, siquidem Terra in vias, quæ errantem reducerent continuo ductu in suas sedes, nondum erat secta, sed omnia unum erant æquor vasto mari simile, nullis signis distin-

distinctum, neque vero in tanta hominum paucitate, nullis tunc certis & publicis itineribus, occurrebant facile obvii, quos de via sciscitarentur; quum ergo inquam, hoc consilium fuerit illorum hominum, hæc eorum vita, hic rerum tunc temporis status, quis non videt, utilissimam ac pene necessariam illis fuisse, certe cum eorum consiliis congruere quam clarissime, talem tam excelsæ Turris exstructionem; atque adeo pulcherrime jam inter se cohærere, *ædificemus nobis in hac Terra certam Habitationis sedem & Turrim in ea altissimam, atque ita faciamus nobis Signum, ne ex hac Terra a nobis invicem dispergamur?*

Opportissimum autem isthac in Terra Dispersioni cavendæ *Signum* fuisse ejusmodi Turrim, manifestum plane erit, si accuratius paulo attendatur ad ejus Terræ indolem, rationem, & formam. Erat enim illa prorsus non modo, ut jam probavimus, fertilis & pascua, sed etiam campestris plane & æquabilis, sine montibus & collibus, sine sylvis & saltibus. Diserte id testatur Strabo *lib.* II. *pag.* 109. *Ed. Paris.* comparans ea parte inter sese Babylonios campos & Pelagus: ὥσπερ διὰ πεδίων ἰȣσι μεγάλων, οἷον τῶν Βαβυλωνίων, ἢ διὰ πελάγȣς, παρίσαται τὰ πρόσω πάντα, καὶ τὰ κατόπιν-

ὄπιν, καὶ ἐκ πλαγίων ἐπίπεδα, καὶ ἐδεμίαν ἀντέμφασιν παρέχει πρὸς τὰ ἐράνια: *quemadmodum per magnos ambulantibus campos, quales ſunt Babylonii, vel per mare, omnia quæ ante, & poſt, & ex obliquo ſunt, ſeſe exhibent plana, nullamque adferunt diverſitatem apparitionis in rebus cœleſtibus.* Habes Lector Babylonicæ Terræ planiciem *Mari* comparatam, & proſpectui in omnes partes ipſumque cœlum idcirco eandem. Sed & hæc ipſa eſt ratio ſecundum Veteres, quare Chaldæi omnium primi Aſtrorum motus obſervarint; quia ſcilicet per illa camporum æquora latiſſimus iis, nec usquam interruptus, patebat proſpectus in cœlum, qualem aſtrorum obſervatio requirit, unde & alii, veluti Prometheus, Atlas, Endymion, altiſſimos eſcendiſſe ea gratia montes leguntur. Egregia iſtam in rem ſunt verba Ciceronis *de Divinat.* I. 42. *Babylonii in camporum patentium æquoribus habitantes, quum ex terra nihil emineret, quod contemplationi cœli officere poſſet; omnem curam in ſiderum cognitione poſuerunt.* Recte ergo ipſam quoque Urbem, Babylonem, idem Strabo *lib.* XVI. *pag.* 738. ἐν πεδίῳ, *in planicie*, locat, & ei tribuit *pag.* 739. ὕλης σπάνιν, *materiæ* ſeu *Ligni penuriam*, unde & *pag.* 741. ait, Alexandrum M. naves iſtic exſtruere volen-

lentem adhibuisse *cupressos*, ἐν τοῖς ἄλσεσι καὶ τοῖς παραδείσοις, *nemorum & hortorum*, quia σπάνις ὕλης ἐνταῦθα, *raritas lignorum*, seu *sylvarum naturalium*, *istic erat*. Talis igitur quum esset illa regio, campi tam late patentes, æquabili planicie, prospectu nusquam per montes aut sylvas finito, clarissimum utique est, maximam illos cum pecoribus suis longe lateque errantes utilitatem ex tanta Turri potuisse percipere, quæ omni ex parte quam longissime respici poterat, vel cujus conspectum, licet in remota prorsus pascua abducti, retinere, & si forsan ignari & imprudentes, vel etiam scientes prudentesque, eum amisissent, brevibus tamen erroribus facile recuperare, & sic ad suos redire poterant.

CAP. XIII.

Valles *proprie dictæ in Terra Sinear non erant.* בעקה *notat etiam æquabilem terræ planiciem. Circulus, unde altissima Turris conspici poterat, facile a pastoribus, extra conspectum Turris errantibus, reperiri denuo potuit. Homines exstru-*

struxere Turrim in suum & posterorum usum. In ea exstruenda nihil criminis hærebat, quum Factum ipsum, & ejus Finis per se esset indifferens. Opinio criminis unde orta. Peccarunt tamen Noachidæ, quia contra voluntatem Dei, & præcepta Noachi voluerunt conjuncti manere, & Dispersionem impedire. Hinc rebellio Nimrodi. *Deus voluit Pios ab Impiis segregari. In Historiis circumstantia quædam justo in loco sæpe prætermittitur, & postea demum per occasionem memoratur. Peccatum, quod in Facto per se innocuo & indifferenti hæret, sæpe ex conjectura colligendum. Tale peccatum* Davidis *numerantis Populum, &* Mosis *percutientis petram.* Confusio Labii *non Poena fuit, sed instrumentum, quo Deus Homines ab se invicem coëgit secedere. Variis modis fieri illa potuit. Ad tempus immissa fuit, non perpetua.*

tua. Post Dispersionem habuerunt Homines pristinam Linguam, sed quæ dein diversis fuit modis in diversis gentibus mutata.

OSTENDIMUS, quam pulchre conveniat Historiæ Turris Babylonicæ, & Loco *Gen.* XI. nostra τȣ̃ *Sêm* expositio: quam bene porro in ea cohæreant *Turris* & *Signum*: quanto denique fuerit usui primis illis Hominibus in Terra adeo plana & æquabili Tale *Signum*, undiquaque conspicuum, ad cavendam *Dispersionem*. Videbimus nunc, ut amoliamur, si quid objici aut moveri contra queat. Ejus generis primum est, quod dicuntur *in Terra Sinear invenisse* בקעה / *& ibi consedisse, atque excitasse Turrim.* Illud autem a Junio vertitur *convallem.* Jam vero liquet per se, Turrim, quæ cavendæ Dispersioni inservitura esset, excitandam potius in summis montium jugis, quam in *vallibus*: unde sequi videtur, neutiquam ergo isti usui destinatam. Ego vero negare sane nolim, τὸ בקעה primitivo & proprio sensu significasse *vallem*, inter montes quasi *fissos* subsidentem, ut AbenEzra quoque tradit. Sed quum certissimum sit, ut supra jam declaravimus, Terram hanc Sinear, seu Babylo-

lonicam, fuisse prorsus campestrem, & sine ullis montium salebris; certum ergo etiam illud est, nullas istic fuisse *valles* montibus cinctas, in quibus magno numero Homines habitare possent: atque adeo, etiamsi in Sacris Hebrææ L. reliquiis nullus alius exstaret locus, quo vocabulum illud alio acciperetur sensu, hic tamen necessario aliter accipiendum fore. Recte igitur LXX. verterunt πεδίον, h. e. *planitiem*, seu *Campum*, ut Vulgata id reddidit Versio. Neque aliter Belgæ, qui exposuerunt *een leegte*. Sed audiamus Doctissimum inter Judæos Interpretes Aben-Ezram de vocabuli hoc in loco significatione, ופי׳ בקעה ערבה ישרה הפך הרכסים h. e. *Et interpretatio* τῦ בקעה est *planicies æquabilis*, *contrarium sunt Salebræ*. Adfert deinde locum similem ex *Esa*. LXIII. 14. ubi dicitur, *ut pecus*, *quod in campum* (בקעה) *descendit*. Sed disertior est Locus *Esa*. XL. 4. ubi tanquam Synonyma junguntur מישור & בקעת manifesto *camporum* seu *planiciei* sensu: *Omnis* (גיא) *Vallis elevabitur*, *& omnis Mons ac collis deprimetur*, *& quod curvum est*, *redigetur in æquor*, seu *æquabile*, למישור / *& salebræ in planiciem*, לבקעה. Neque vero in hoc solum vocabulo ita laxior evasit hæc *Vallis* significatio, sed & in τῷ

גיא, γαῖα, γῆ, quod apud Hebræos item *vallem* potiſſimum notat, ſed apud Græcos dein omnem terræ tractum. Vetat itaque Terræ, in qua Noachidæ conſederunt, Situs, cogitare hic loci proprie dictam *Vallem*; permittit autem Linguæ ratio, vocabulum, quod hic dubium parit, de *Campo* ſeu Campeſtri regione interpretari. Id ergo ita faciendum eſſe, atque adeo nihil ab hac parte ſupereſſe ſcrupuli, res certa eſt.

Neque vero Inania velim opponi: Nempe Turrim quamtumvis excelſam, & in Terra æquabili ac plana licet exſtructam, non tamen intra Tantum Terræ Spatium conſpici poſſe, quantum requiratur ad magnam Hominum multitudinem cum pecoribus alendam: quaſi ſcil. Noachidæ debuerint igitur ſe neceſſario continere ſemper intra fines, unde Turrim ſuam reſpicere poſſent. Etenim ejusdem hoc eſt ponderis & momenti, ac ſi quis diceret, Pharon in littore vel portu erectam non inſervire navigantibus in longinquum & altum mare, ſed tantum littus legentibus. Quod uti abſurdum eſſe nemo non videt, immo uti ſatis conſtat, excitari hujusmodi turres in littoribus ad regendos navium curſus, quæ ex longinquo repetunt portum, vel aliunde adventantes, in incerta navigatione, ſimpliciter in hanc aut illam di-

directa plagam, certum quærunt littus, ut ita, postquam assecutæ sunt hunc veluti orbem, ex quo Pharon prospicere queunt, sciant dein rectius & certius, quo jam tendere debeant: sic prorsus Noachidæ Turris suæ fiducia in longum latumque cum pecoribus errantes, facile dein, ubi usus venerat, Orientem primo aut Occidentem versus, ut itineris antea instituti ratio ferebat, redeuntes, spatiosissimum hunc quaqua versus circulum, unde Turrim illam oculis suis assequi poterant, inveniebant, & ita porro sedes suas recta jam via, & sine ullis amplius ambagibus, repetebant; ut adeo neutiquam necesse fuerit isti Nomadum multitudini, hærere semper intra illos fines, ut fructum aut utilitatem superius expositam ex sua Turri perciperent.

Nihilo magis ad rem facit, quod Homines isti satis liquido prævidere potuerint, Se, vel, si non ipsos, certe Posteros eorum, increscente quotannis suæ multitudinis numero, tandem tamen necessario dispersum iri, atque ita Hos utique nullum habituros istius Turris usum, huic uni quippe loco alligatum. Non memorarem hanc tam frivolam rationem, nisi aliquando meæ interpretationi fuisset objecta. Nam profecto nihil magis frivolum dari potest, & quod clarius & certius a

quotidiana rerum experientia refellatur. Quotiescunque enim publicum aliquod magnæ molis & speratæ utilitatis opus omnium vel labore vel impensa exstruitur, quis tandem singulorum certo, aut certius, quam istic Noachidæ, omnibus suis posteris promittere queat perpetuum operis illius usum aut possessionem? Et tamen videmus passim talia etiamdum fieri, quia omnes æque sperant Sibi & Suis desideratum illud suæ operæ & impensæ pretium. Ita vero & Noachidæ, etiamsi se in diversa inde abituros aliquando, satis intelligerent, quia tamen non omnes erant abituri, sicuti nec omnes abierunt, & quia incertum singulis erat, quando tandem, & quinam potissimum & primum, essent secessuri, omnes ideo & singuli æqualiter suo quodam jure sperabant promittebantque, partim Sibi, partim Posteris suis, quæ expectatione sua conceperant, Turris illius commoda. Utcunque sit, certum utique ex ipsa Historia, Homines istos, quum venissent in campestrem hanc Terram, tum demum cepisse consilium Sedis, si non prorsus Perpetuæ, certe Diutinæ & Duraturæ, sibi istic figendæ, exstruendæ ideo Urbis & Turris, dandæque ita operæ, *ne dispergerentur:* indicio haud dubio, existimasse ergo eos, regio-

gionem hanc adeo pascuam & ſecundam, ſibi ſuisque pecoribus diu etiam ſuffectu-ram. Denique, ſi quæ vis eſſet hujus argumenti, non tam meæ interpretationi, quam ipſi adverſaretur Hiſtoriæ, ſiquidem omnino Urbs illa & Turris unius tantum erat loci, atque adeo, quicunque tandem foret iſtius operis & molis uſus, Diſperſio certo dein eventura ſecundum rationem illi eſſet contraria.

At majorem habet ſpeciem, vel certe pervulgato magis nititur præjudicio, quod omnes pene Interpretes conſentiunt in graviſſimum hujus Facti Crimen ſimul & Pœnam, quum in mea illa interpretatione nihil criminis Facto ipſi, quippe per ſe innocuo, ineſſe videatur. Præjudicio quodam niti hunc conſenſum dico, quia omnes pene arripiunt iſtam Criminis horrendi, in ipſo Facto ſiti, & parilis Pœnæ ſententiam, adeo, ut ſola hac ratione ex ejus Facti Hiſtoria & conjuncta generis Humani in Terra Sinear Habitatione excludant Noachum, Semum, Heberum, & qui eos ſequebantur: immo *ſine Atroci injuria non poſſe illos NEFARIORUM Horuri Conſiliorum participes haberi* aſſeverent, ut oſtendimus jam ſupra *Cap.* 8. Et tamen nulla omnino *Peccati* aut *Pœnæ* in tota hac Hiſtoria a Moſe fit mentio; tantum di-

citur, *Deum descendisse*, ut impediret illam ædificationem, eaque gratia *immisisse illis Confusionem Labii*, qua factum, ut illi mox, quod volebat Deus, *dispergerentur* per orbem terrarum.

Ortum est hoc præjudicium ex Judæorum Fabulosis, sed antiquissimis, hujus Historiæ interpretationibus, ut solita fuit illa Gens jam olim suis Fabulis Historiam Sacram non locupletare, sed contaminare. Quo pertinent in hac ipsa Historia LXX. Novæ, & diversæ ab se invicem, Linguæ tunc exortæ, ut & quod in illa Confusione Labii manus conseruerint, *& dimidia pars Generis Humani gladio ceciderit*, quod traditur in *Capitulis* R. Eliezer *cap.* 24. Occasionem autem fingendi in hoc Hominum Facto tam Horrendi Criminis sumserunt ex eo, quod dicuntur illi voluisse Turrim exstruere, cujus fastigium *in Cœlum usque* ascenderet. Qua phrasi licet nihil, nisi summa Turris altitudo, ὑπερβολικῶς significetur (Vide Bocharti *Phaleg.* I. 13.) Judæi tamen ex ea nobis eliciunt, quod voluerint Homines *ascendere in Cœlum*, *& bello petere Deum habitantem in Cœlo.* Vide Buxtorf. *Dissert. Philolog. Theol. pag.* 75. memorantem istic *Varia*, quæ Veteres Judæi *excogitarint & commenti sint*, *quia Scriptura*, ut ipse ait, *horum*

Ho-

Hominum Peccatum non diſerte expoſuit. Adde Joſephum, fabulas ejusmodi itidem copioſe ſatis Hiſtoriæ huic aſpergentem. Sed & diſerte apud eum [a] Vetus Sibylla ait, Πύργον ᾠκοδόμησαν ὑψηλότατον, ὡς δι᾽ αὐτοῦ ἀναβησόμενοι ἐπὶ τὸν οὐρανὸν, *Turrim ædificarunt altiſſimam, quaſi per eam aſcenſuri in Cœlum.* Quin ex hac Judæorum Fabula, ut cenſuit etiam eximius ille Calvinus, & Nos ſupra *Cap.* 10. *p.* 227. jam diximus, Græci videntur ſumſiſſe Suam de Gigantibus, qui itidem voluerint aggeſtis Montibus in Cœlum aſcendere, & ibi Deos oppugnare.

Ceterum ex eodem fonte manavit ad Chriſtianos quoque recepta paſſim opinio de tam horrendo & atroci Crimine, quod in ipſo hoc Facto, ſeu Exſtruendæ Turris, ſeu Faciendi ſibi Nominis, inſit. At ſi jam quæras, quodnam fuerit proprie illud Crimen, non minus *Varia excogitant & comminiſcuntur*, quam Judæos olim feciſſe, modo vidimus dicere Buxtorfium. Quidam accipiunt quorundam Judæorum ſententiam de *Idololatria.* Plerique *effrenem Superbiam* Hominum incuſant, quod voluerint *æternum ſui Nominis monumentum* exſtruere. Nonnulli tamen ad mitiora deveniunt, & peccaſſe eos cenſent, non tam

X 4 ip-

a I. *Antiquit.* 5.

ipſo facto, quam *in Medio*, quia rem per ſe Bonam, *Veritatis conſervandæ rationem*, quæſiverint modo non optimo, *Auctoritatis* ſcil. *Humanæ* vinculo vel ope; vel etiam, quod urbem exſtruxerint non Deo, ſed *Sibi*, dum dixerunt, *Aedificemus Nobis Urbem* &c. quæ ſententia eſt Chryſoſtomi *Homilia* 30. *in Geneſin*. Tanta hæc *Varietas* certo eſt indicio, omnia proficiſci ex conjectura, quum a Moſe nihil ipſo in Facto Criminis aut Pœnæ memoretur. Nihil itaque illa, præterquam quod ſingula in ſuperioribus a me jam ſatis ſunt refutata, argumenti habent aut ponderis ad rejiciendam interpretationem huic Loco & Hiſtoriæ, immo & vitæ illorum Hominum, opportuniſſimam, ſeu ad probandum, quod nos vel maxime negamus, Factum hoc hominum fuiſſe per ſe Malum, non Indifferens, aut Innocui Uſus.

Quid ergo? Nihil omnino peccaverunt Noachidæ exſtruenda hac Urbe & Turri? Sic ſane exiſtimant acerrimo præditi judicio Interpretes, inter Judæos AbenEzra, inter Chriſtianos Toſtatus Abulenſis, quem ſequi videtur Nicol. Abramus in *Pharo*, p. 120. &c. Neque vero conficitur ex eo, quod Deus factum illud impedivit, fuiſſe ergo per ſe Criminoſum. Similiter enim interceſſiſſe Deum legimus conſilio Da-

vi-

vidis, qui Templum illi exſtruere decrerat conſentiente & probante id Nathane, II. Sam VII. Nemo tamen hoc Conſilium idcirco Davidi vitio verterit. Plura poſſent ejus generis adferri, quæ cum per ſe eſſent ἀδιάφορα, tamen reperiuntur a Deo certis quidem cauſis, ſed quæ nobis ſæpe latent, vel vetita, vel impedita. Neque porro *Confuſio Labii*, & *Diſperſio Hominum*, præcipuæ cujusdam Pœnæ vicem hic ſuſtinent, quod volunt plerique Interpretes, adeo ut inde colligant *maximam Dei Iram*, & *Propoſitum* Hominum *fuiſſe ergo non temerarium duntaxat*, ſed prorſus impium. Vide Doctiſſ. Morinum de *Lingua prima p.* 47. Nec enim *Diſperſi* ſunt ſinguli in triſtem & horridam ſolitudinem, ſed ſeceſſerunt ab ſe invicem per Familias in varios locorum tractus, Semitæ in Orientem, Chamitæ in Occidentem, Japhetitæ in Septentrionem. In quo quid tandem mali, aut quæ ſpecies Pœnæ? quum utique hac ratione latius non tantum habitaverint, ſed etiam paſcere potuerint, & inter ſuos liberius dein ac ſecurius egerint, certe Pii ſecurius, quam antea in ſocietate Impiorum & Nimrodi ſodalium. Adeo certa hæc res eſt, ut ideo Bochartus *Phalegi* I. 16. *Diſperſionem hanc fuiſſe generi Humano Utilem, & longe majus inde Bonum*

 emer-

emergere, quam ex eo, quod sibi Homines proposuerant, palam censeat. Neque aliter AbenEzra, *Deus*, ait, *dispersit illos, & hoc Bonum illis. Nam sic dictum erat, Implete terram. Confusio* autem *Labii* nihil aliud, quam instrumentum erat potentiæ divinæ, quo adigebantur Noachidæ ad accipiendum hoc secessionis, quam nimis aversabantur, beneficium a Deo sibi destinatum: ut sæpe etiam nunc Homines, commoda sua non intelligentes, ad ea arripienda etiam invitos adigi videas.

Neutiquam tamen Noachidarum ego consilium vacuum prorsus aut immune pronunciaverim ab omni Peccato: quin immo nullum quidem in ipso eorum Facto, quippe quod plane fuit ἀδιάφορον, crimen exstitisse, at ab eorum consilio aut animo nequaquam, vel diffidentiæ cujusdam, vel potius contumaciæ, culpam afuisse crediderim. Huc referre possis, quod Auctor *Sapientiæ* x. 5. ait, *Ea* (Sapientia) ἐν ὁμονοίᾳ πονηρίας ἐθνῶν συγχυθέντων, *quando in consensu malitiæ confusæ sunt Gentes, invenit justum & servavit intaminatum Deo, & super viscera Filii firmum custodivit.* Designat Abrahamum, quem Judæi inter ædificatores Turris vixisse volunt, rem istam in ultima Phalegi tempora rejicientes. Sequitur eos Hic Auctor, sed male, & errans

rans haud dubie, quoniam revera diu ante natum Abrahamum Turris exſtructio fuit tentata. Tanto autem minoris refert, quid ille ergo de Facto hoc primorum Hominum ſcripſerit. Sed tamen, quin recte illis adſcribatur ὁμόνοια πονηρίας, *conſpiratio in malo*, contumaciæ ſcil. adverſus Deum, nullus dubito. Nempe voluit Deus, id quod ipſo ex eventu liquet, ut Homines jam ab ſe invicem abirent in varias veluti Familiarum colonias, ne Pii iſto cum Improbis vitæ & habitationis conſortio corrumperentur, æque ac Filii Dei, ſeu Sethitæ, ante diluvium, ſimulac ſe Filiis Hominum a Caino ortis miſcuerant, non illi emendarunt hosce, ſed ab his potius corrupti, in quævis flagitia & ſcelera, ac ita tandem in ferale ſui generis exitium ac internecionem una cum His præcipites ſe dederunt. Sed & idem plane voluit Deus, quum Abrahamum in arctioris ſecum fœderis gratiam recepturus eſſet. Nam & illum juſſit ante omnia *Ex Terra ſua & Cognatione*, immo ex *Familia Patris ſui*, in aliam exire terram, Geneſ. XII. 1. haud dubie, quia Majores & Cognati illius jam erant idololatræ, ut non tantum ex Hiſtoria Labanis conſtat, ſed & de Majoribus illius diſerte traditur Joſuæ XXIV. 2. Quid quod nihil frequentius, nihil item ſtudio-

ſtudioſius, ab eodem Deo per Moſen præcipitur Iſraëlitis, quam, ne ullum ineant fœdus cum Cananæis, neu matrimonia cum iis jungant, ne ita illi *forent Iſraëlitis in laqueum, & abducerent eos ad colendum Deos alienos?* Vide Exod. XXXIV. 12. &c. Deuteron. VII. 2. &c.

Hanc vero ſuam voluntatem quin Deus quoquo modo, ſed maxime per Noachum, iſtis Hominibus declaraverit, nullum eſt dubium, non tam, quia Joſephus id diſerte affirmat I. 5 quam quia ex Natura rei, & perpetua Dei conſuetudine, id quaſi neceſſario ſequitur. Illi vero, quum nimis horrerent, naturali quodam ſolitudinis odio, iſtam Diſperſionem ſeu Seceſſionem, non fuerunt dicto audientes, nec Deo, nec Noacho, voluntatis divinæ apud ipſos interpreti haud dubio, ſed auſcultaverunt potius Rebelli contra Noachum, & *Rebellionis* ἐπωνύμῳ, *Nimrodo*, atque ita pene omnes, licet non omnes rebellandi animo, ſed plerique diffidentia quadam, non tantum non obtemperarunt divinæ denunciationi, ſed & e contrario excitarunt ſibi Urbem & Turrim, ut tanto diutius & manerent conjuncti, & diſperſioni, quam metuebant, quaſi obviam irent. Nihil itaque mirum deſcendiſſe Deum, ut hoc eorum conſilium inhi-

inhiberet & disturbaret, suamque in iis perficeret voluntatem, sicuti fecit immissa in eos Labii Confusione, qua ad secedendum volentes nolentes adigebantur. Sic videmus rationem, quare Deus cœpta hæc hominum discusserit. Sed & ita videmus, exstructionem illam Turris fuisse quidem per se rem plane ἀδιάφορον, sed tamen cum Contumaciæ Crimine conjunctam, gravissimo sane, sed ex diffidentia potissimum apud plerosque orto; prorsus uti sæpe etiam Abrahamus ita peccavit, modo ridens rejiciensque fidem sibi a Deo de filio ex Sara orituro datam, modo Saram fingens non tam Uxorem, quam Sororem, suam esse.

At reponet quis; Neque hujus peccati ulla apud Mosen exstat mentio. Fateor equidem, sed tamen reperimus ejus vestigia in appellatione *Nimrodi*, a *rebellione* sic dicti. Ejus enim Nominis nullam ex S. Scriptura aliam possumus eruere rationem aut occasionem, quam quod Noacho aliquid monenti vel denuncianti non tantum non auscultaverit, sed & aliis contra Noachum *Rebellionis* se Ducem & Hortatorem præbuerit, ut jam docuimus supra *Cap.* 8. Nihil autem magis in promptu est, quod cogitemus Noachum monuisse suos nepotes, & in quo Hi illius auctoritatem

tatem rejecerint, quam, quod ex re ipſa cognoſcimus voluiſſe Deum, ut Homines iſti ab ſe invicem in familias & ſeparatos populos ſecederent, & conſilium illud exſtruendæ Urbis & Turris, contra hanc ſeceſſionem vel diſperſionem initum, dimitterent. Quin & crediderim, ex hac denunciatione a Noacho facta, ut ſecederent ſecundum familias ſuas in diverſas orbis terrarum plagas, ortam eſſe traditionem ſeu fabulam, quaſi Noachus teſtamento diviſerit tribus Filiis & eorum poſteris omnem terrarum orbem. Vide Euſebium *Chron. Gr. p.* 10. Quod a Chriſtianis Patribus ita receptum fuit & traditum confidenter, ut Philaſtrius Brixienſis Hæreticorum in ordinem retulerit *Hær.* 118. qui negent, *quod Beatus Noach Orbem terræ univerſum ſuis Filiis tribus diviſerit, dederit, definierit, ac partierit ordine.*

Deinde evenit ſæpe in Hiſtoriis, ut quædam earum circumſtantiæ non tam ex Verbis Scriptoris, quam ex Facto ipſo cognoſcantur; ſæpe etiam, iſtic, ubi res ex profeſſo narratur, prætermiſſæ, poſtea demum per occaſionem quandam obiter memorentur, id quod multis docui exemplis ex Scriptoribus rerum Romanarum in *Animadv. Hiſtoricis* cap. 4. Talia in Sacris quoque Literis reperiri, certum eſt. Ita enim

enim I. Sam. v. refertur, quum Arca Dei Iſraëlis a Palæſtinis eſſet capta, & abducta in Templum Dagonis Dei ſui, reperiſſe eos poſtridie Dagonem hunc prolapſum & jacentem humi ante Arcam, immo tandem fractum & mutilatum; ſed & cives oppidi iſtius, aliorumque, in quæ dein tranſlata eſt Arca, fuiſſe hæmorrhoidibus graviſſime afflictos. At cap. vi. ubi jam exponitur, quomodo remiſerint Arcam ad Iſraëlitas cum donis piacularibus, ibi vero deprehendimus demum, incubuiſſe iram Dei non tantum ipſis *Hominibus*, neque tantum *Diis* eorum, ſed & *Terræ* ipſorum, eamque a *Muribus* fuiſſe quaſi vaſtatam, atque idcirco Palæſtinos inter illa dona etiam *quinque mures aureos* ad Deum Iſraëlis placandum Arcæ addidiſſe: cujus tamen Mali nulla omnino mentio ſuperiori in *Capite* fuerat facta. Eodem plane modo I. Sam. viii. dicuntur Iſraëlitæ, rejectis Samuelis Filiis, petiiſſe ſibi Regem, ejusque rei nulla iſtic alia memoratur occaſio vel cauſa, quam quod ipſe jam ſenuerit, & Filii ejus munera aucupentur, & ita jus pervertant §. 5. At xii. 12. potiſſima ejus rei occaſio, & cauſa haud dubie proxima, exponitur, quod nempe *viderent Nahaſum, Regem Ammonitarum, ſeſe bello petere*. Ergo volue-

voluerunt tunc maxime belli ducem habere, & ſimul, quum Filii Samuelis jus non recte dicerent, domi Judicem, hoc eſt, voluerunt iſto Belli metu excitati habere Regem, quoniam Regum apud antiquiſſimas Gentes proprium, & pene unicum erat munus, curare primum Bella, dein Judicia, aliquando etiam Sacra. Quin ipſa quoque facta integra, ſatis licet notabilia, reperimus tamen aliquando tempore ſuo neglecta, ac poſtea demum per aliam occaſionem leviter ſignificata. Sic certe II. Samuelis XXI. legimus famem a Deo immiſſam in populum Iſraëliticum tempore Davidis per très annos. Deum vero conſultum reſpondiſſe, eam immisſam propterea, quod Saulus Gibeonitas percuſſiſſet, quaſi zelo quodam in eos inflammatus pro Iſraëlitis. At vero de tota hac re tam memorabili nullum usquam in Hiſtoria Sauli reperimus verbum. Quapropter multis ea quoque res conjecturis dedit locum ad inveſtigandum, quæ ratio moverit & incenderit Saulum in Gibeonitas, quousque in eos ſævierit, quæ denique cauſa fuerit, cur tunc demum Deus propterea famem immiſerit Iſraëlitis, ac iniquam illam Sauli ſævitiam in liberis ejus puniri voluerit.

Similiter vero reperimus ſæpe in Hiſto-

ria & Eventu Facti, per se quidem minime mali, tamen aspersum id fuisse peccati alicujus contagio, licet illud in superioribus nusquam fuerit expressum aut designatum. Et ita huic nostræ Noachidarum per omnia pene congruit Davidis Historia populum Israëliticum Numerantis. II. Sam. XXIV. Nihil quippe neque in eo Facto mali, si simpliciter & separatim res consideretur: quin e contrario, quum illis temporibus bella gererentur & propulsarentur non per extrarios & conductos milites, sed per cujusque populi Cives, utile erat & consultum publico, in promptu & numerato habere illorum multitudinem. De Romanis notissimum est, singulis eos lustris plerumque censuisse & numerasse suos cives. Augusto etiam laudi ducitur, apud Sueton. *cap. ult.* quod confecerit & reliquerit libellum, quo complexus erat *breviarium totius imperii, quantum militum sub signis ubique esset.* Liquet ex hisce, Numerationem ipsam populi, jussu Regis factam, nihil habere vitii. Id vero etiam multo magis liquet, quando videmus sæpius ab ipso Mose jussu Dei, & postea etiam a Saulo profecturo ad Bellum sine ulla Dei reprehensione, numerum Populi fuisse initum. Præterea nihil, neque in mandato Davidis occurrit vel dictum vel factum,

quod aliquam peccati ſpeciem præferat: tantum Joabus rogaſſe Regem dicitur, ut rem illam omitteret. Aſt in ſequentibus comperimus jam, Regem ipſum pœnitentia facti ductum agnoviſſe culpam, & a Deo punitum. Multa itaque etiam hic Judæi & aliena commenti ſunt, ut, in quo peccatum hoc conſtiterit, nos docerent, quæ videri poſſunt apud Abarbanelem, qui peculiarem de hoc Davidis peccato conſcripſit Diſſertationem. Sed ſi recte attendimus animum, manifeſtum ſatis eſt ex eventu, rem ipſam fuiſſe quidem per ſe innocuam, ſed profectam ab animo elato & ſuperbo, ut qui Dei auxilium vix amplius reſpiceret aut requireret, ſed ſuis jam confideret viribus, ac Populi ſui numero; inque eo igitur ſolo collocandum eſſe illud Davidis peccatum: tanto magis, quoniam hac ipſa ratione increpitum diſerte prorſus & punitum a Deo reperimus quoque Aſam Judææ Regem. II. *Chronic*. XVI. 7. &c.

Ejusdem porro generis exemplum in Moſe habemus & Aharone, quos videmus accuſatos a Deo *Numer*. XX. 12. quod *non ſatis ſibi crediderint, ac debitam tribuerint gloriam coram Iſraëlitis* ad aquas & petram Kadeſchi, immo *rebellaverint contra mandatum ſuum* §. 24. atque idcirco neque ad-

admissos in Terram Israëli promissam, sed prius morte sublatos, quam in eam pervenirent, Aharonem, Num. xx. 24. Mosen, Deut. xxxii. 51. At nisi ea istic demum legeremus, nulla certe nobis in ipsa Historia, in initio illius *Capitis Numerorum* relata, suspicio peccati fuisset oborta ab illis istic commissi. Traditur enim, populum *conquestum cum Mose & Aharone de penuria aquæ, illos se contulisse ad implorandam Dei opem, jussumque Mosen sumere Virgam, congregare populum ad petram, eam alloqui, & sic aquam ex ea elicere.* Ergo *accepisse eum Virgam, advocasse populum, increpuisse eum, & dixisse, Audite, Rebelles, an aquam vobis ex petra eliciemus?* Tum porro *bis illa virga percussisse petram, & sic effluxisse ex ea abundantem aquæ copiam.* Quis in hisce aliquid reperisset Criminis, vel Mosi atque Aharoni adscripsisset, absque illis esset, quæ postea traduntur? Verum ex iis dein, seu ex Increpatione Divina, colligimus liquido, eos cum hæsitatione quadam accessisse ad petram, nec credidisse satis, ad verba sua nomine Dei denunciata erupturas ex petra aquas, atque ideo petram non tam allocutos, quam percussisse virga, & bis quidem, quasi unus non sufficeret ictus: Immo vero effudisse etiam quædam ægritudinis, vel

contumaciæ, vel certe increduli animi, verba contra Deum, id quod tamen non ex ipſa rei geſtæ Hiſtoria, ſed demum ex *Pſalm.* CVI. 33. diſcimus

Sicuti autem hoc ex Eventu, vel ex Conſequentibus, aut poſtea demum traditis, jam liquido ſatis agnoſcimus, licet ipſa Facti narratio nihil rebellionis aut peccati commemoret, immo contra ea diſerte tradat, Moſen *accepiſſe virgam*, *ſicut Deus ei præceperat*, ſed & inſuper, revera aquas eorum opera vel facto ex petra prorupiſſe, quæ nullam ſpeciem criminis alicujus in ea re admiſſi præ ſe ferunt: ſicuti etiam illam Numerationem & Recenſionem populi Iſraëlitici, non ſine peccato juſſam & inſtitutam a Davide, eadem ratione jam ſcimus, licet in Hiſtoria mandatæ Recenſionis nihil nobis occurrat criminis; ſic plane exſtructionem hanc Urbis & Turris ad cavendam diſperſionem, licet per ſe prorſus indifferentem, & minime malam, licet etiam nulla Noachidarum Contumacia aut Diffidentia in rei geſtæ narratione reperiatur, tamen non absque his vitiis agitatam & ſuſceptam facile ac lubens crediderim, quum videam in Scriptura S. toties talia demum per eventum rerum declarari: quum *Nimrodi* nomen talem *Contumaciam* quaſi digito

to demonſtret: quum denique Deus hanc exſtructionem tam extraordinaria ratione, immiſſa ſcilicet in eos *Labii Confuſione*, ut alter alterum minime intelligeret, impediverit, & veriſimile prorſus ſit, Deum, antequam ita Labium Hominibus confunderet, ſuam iis voluntatem quoquo modo denunciaviſſe.

Illam tamen *Labii Confuſionem* non tam habeo, ut dixi jam antea, pro Pœna, quæ hominibus diu aut in perpetuum deinceps incubuerit, quam pro inſtrumento, quo Deus Opt. Maximus tunc voluerit uti ad diſturbanda Hominum illorum conſilia, eosque ad ſeceſſionem adigendos. Factum enim eſt per eam, *ut alter alterius ſermonem non intelligeret*, & ut ſic privati commercio Linguæ, quod eſt Vinculum Societatis præcipuum, abirent ab ſe invicem in diverſas, at nondum in remotas plane, terrarum oras. Longe aliter ſentiunt plerique Judæorum, & Chriſtianorum Patrum, qui Varietatem Linguarum, per quas dein diviſæ exſtiterunt Gentes, tunc maxime natam contendunt; & illi quidem earum numerum definiunt fuiſſe LXX. quia in ſuperiori *Capite* tot Homines & Gentes ex tribus Noachi Filiis ortæ nominantur: at Chriſtiani LXXII. tunc natas affirmant, quia in Græca verſione

sione tot Noachidæ, addito Elisa Japhetitis, & Kainane Semitis, memorantur. Recentiorum multi sequuntur sententiam hanc Varietatis Linguarum subito tunc & ante dispersionem ortæ, & per *Confusionem Labii* designatæ. Videatur Buxtorfii *Diss. Philol. Theol.* II. Sed ab ea recesserunt dudum Viri profecto Eruditissimi, inque iis Mericus Casaubonus una cum Patre Isaco, *Comm. de Lingua Hebraica pag.* 3. & *seqq.* tum Joh. Henr. Heideggerus in *Historia Patriarch. Exerc.* xx. denique & ex Judæis sapientissimus ille AbenEzra. Dignissima etiam sunt Philonis verba in *lib. de Confus. Linguæ circa finem*, quæ hic exhibeantur. Sed longior est locus & ideo in compendium brevioris sententiæ eum contraham. Confusionem ait *hanc rem appellari a Mose, at hunc, si voluisset Ortum Linguarum indicare, rectius dicturum fuisse* Divisionem, *quam* Confusionem. *Quæ enim in partes dividantur, non* Confundi, *sed* Distingui. Confusionem *enim esse corruptionem simplicium facultatum ad generationem Unius ex illis corruptis conflatæ, Divisionem vero esse Unius in plura distinctionem. Ut adeo si unam tunc Linguam voluisset in plurium dialectorum sectiones dividi, usurus fuisset aptioribus & magis propriis hanc in rem vocabulis*, Τομὴν, ἢ

Διαι-

Διανέμησιν, ἢ Διάκρισιν, ἤ τι ὁμοιότροπον εἰπὼν, οὐ τὸ μαχόμενον αὐτοῖς, Σύγχυσιν, Sectionem, *aut* Divisionem, *aut* Distinctionem, *aut aliquid Simile dicens*, *non* Confusionem, *quod illis est contrarium.* Inane est, quod his reponit Pererius, *Confusionem non fuisse in Linguis*, *sed in Hominibus*, confusis scil. & perturbatis ex eo, quod subito alter alterum non intelligerent, & pristinæ Linguæ essent obliti. Nam Deus non dicitur *Filios Hominum*, aut *Omnem Terram*, sed *Labium Hominum* & *Labium Omnis Terræ*, *confudisse*, *ut alter alterum non intelligeret*. Hoc ergo memoratur istic, ut effectum *Confusionis Labii*, non ut Causa *Confusionis Hominum*, quod vult Pererius.

Existimant ergo illi omnes, quia *Confusio Labii*, *& Productio Novarum Linguarum*, sunt res diversissimæ, & quia certo deprehenditur, antiquas quasque Linguas a Prima, solito in Linguis more, paulatim, & aliis plane modis alias, fuisse derivatas, quæcunque tandem fuerit illa *Confusio Labii*, quæ varia esse potuit, Linguarum certe discrepantiam demum post Dispersionem vel Secessionem esse ortam. Et sane quum Moses neutiquam contrarium affirmet, multo hoc est non modo Naturæ rerum seu Linguarum, sed & Historiæ Sacræ convenientius.

 Hanc

Hanc ipſam enim qui negant, nihil ſibi magis concedi expetunt, quam, ſicuti volunt tot numero Gentes diverſas non eſſe ortas ex Uno Homine, ſic neque Linguas Gentium ex Una omnium Prima ſucceſſu temporis eſſe formatas. Conjuncta quippe ſunt illa & inter ſe connexa. Unde Diodorus Sic. *lib. I. init.* poſtquam expoſuiſſet, Homines principio rerum e Terra adhuc recente & molli, ope Solis, productos per totum hujus univerſi orbem: atque ideo diverſis in locis *Primas Hominum Societates habuiſſe* οὐχ ὁμόφωνον τὴν διάλεκτον, *minime conſonantem ſermonem*, addit, διὸ καὶ παντοίους ὑπάρξαι χαρακτῆρας διαλέκτων, *idcirco etiam varias exſtitiſſe Linguarum Formas.* At ſi omnes Hominum Gentes per totum terrarum orbem, non ex diverſis, ſed ab Uno Progenitore ſunt ortæ, ut S. nos Scriptura docet, conſequitur, ut proinde omnes etiam Linguæ ab Una illius Progenitoris, fuerint derivatæ, variis licet mutationibus.

Sed ajunt, diſerte hæc tamen Hiſtoria exponere videtur originem iſtius Varietatis Linguarum, ſiquidem procemium ejus ſumitur ex hoc uno, quod *omnis Terra fuerit* adhucdum *unius Labii & Sermonis*, & dein memoratur *Confuſum* iſtic *Labium*, *ut alter alterum non intelligeret.* Non equidem

dem id negaverim; nec meæ id repugnat ſententiæ. Etenim refertur heic Hiſtoria Diſperſionis ſeu Seceſſionis Hominum ex uno loco, in quo adhuc conjuncti vixerant, in varias terrarum oras, quam neceſſario, prout comparata eſt ingenii humani natura, paulatim ſequi debuit, & ſecuta eſt, Varietas linguarum. Recte ergo præmittitur huic Hiſtoriæ, non tantum Homines una in Terra pariter habitaſſe, ſed & una fuiſſe antea uſos Lingua. At dices, *Confuſio* illa *Labii*, per quam *alter alterum non intellexit*, evenit ante Diſperſionem, quippe quæ Homines ad eam adegit. Verum quidem eſt & illud: ſed & hoc Verum. Poſt factam jam Diſperſionem proximis aliquot ſæculis Homines potuiſſe tamen intelligere alios, diverſiſſimarum licet familiarum & gentium.

Nempe ergo *Confuſio Labii* nequaquam fuit ſubita complurium novarum Linguarum productio cum Veteris Oblivione, ſed vera & propria Sermonis Confuſio, quacunque tandem ratione illa exſtiterit. Erasmus in *Dialogo de Pronunciatione Græci Latinique ſermonis* [a] narrat, ſe præſente

 Imp.

[a] Haud procul a fine. Quod hic dicitur eum, qui Oratori Gallo reſpondit, *ex ultima Germania* fuiſſe, non eſt in Erasmo, qui *Doctorem aulicum* (Juris Conſultum e conſilio Principis, opinor) fuiſſe

Imp. Maximilianum ab Oratore Gallo ex tractu Cenomanensi salutatum oratione bene Latina, sed quam is Legatus ita Gallice pronunciaverit, *ut Gallice, non Latine, dicere crederetur* ab Italis & Germanis. Ei dein, ut responderet ex more, oppositum Hominem ex ultima Germania, qui Latine quidem, sed *tanto spiritu, & tam Germanice*, omnia dixerit, ut minus etiam intellectus fuerit a Gallis. Retuli hoc, non quod velim tali prorsus modo

Con-

fuisse dicit, & principium Orationis illius hoc refert: *Cæsarea Maghestas pene caudet* (bene gaudet) *fidere fos, & horationem festram lipenter audisit.* Non dissimile est, quod de Jos. Scaligero circumfertur. Nam hunc ferunt ab Anglo quodam Latino sermone compellatum, quum propter insolentiam pronunciationis non adsequeretur, quæ dicebantur, respondisse, *Domine, non intelligo Hibernice.* Addam, quia ab hoc loco non alienum est, sententiam Erasmi de linguarum confusione ex eodem Dialogo pag. 51. *Edit. Froben. Aliquis*, inquit, *e longinquo petebat obsonium, alter adferebat lateres. Rursus alius inclamabat sitiens, adferte potum, alter deferebat bitumen: priusquam ille recurreret, hic fame sitive perierat. Rursus alius postulabat ignem, deferebatur aqua. Hic petebat trullam, ille ferebat cucurbitam.* Ex his adparet eum putasse nullam linguae mutationem factam, sed aures ac mentes hominum ita perturbatas fuisse, ut alii alios eodem sermone loquentes perperam intelligerent; perinde ac si ab iis, quibuscum loquebantur, non ea, quæ hi dixerant, sed alia verba audivissent In eadem sententia alios quoque ante Erasmum fuisse lego.

Confusionem Labii factam, sed ut ostenderem, variis plane modis per infinitam illam Dei potentiam fieri potuisse, ut alter alterum, licet eadem utrique uterentur Lingua, non intelligeret, vitio potissimum turbatæ mentis, qua vel perperam pronunciabant, vel aliena prorsus loquebantur, vel nesciebant ipsi, quid dicerent, uti accidit plerumque Prophetis in ἐκστάσει.

Deinde non fuit hæc *Labii confusio* perpetua, sed ad tempus a Deo adhibita, tantum ut homines ad secedendum cogeret. Quo jam facto, loquebantur haud dubie iterum omnes, ut soliti erant, eademque Lingua, qua antea fuerant usi, sed quæ dein tractu temporis variis mutationibus per varias & separatas jam gentes majorem in modum adulterata fuit, & sic ex Una in Diversas abiit. Certe postquam ab se invicem secesserunt, quod denuo alter alterum, etiam Chamitæ Semitas, & contra, sic satis intellexerint, ex Historia Abrahami proficiscentis ex Chaldæa in Cananæam, inde in Ægyptum, postea mittentis Servum, ut Filio Isaaco arcesseret ex Mesopotamia uxorem, sed & ex compluribus aliis istius ævi exemplis, abunde liquet. Tempore Jacobi demum diversæ, non tam Linguæ, quam Dia-

lecti,

lecti, exſtitiſſe aut ortæ videntur. Homines autem, quando poſt factam jam diſperſionem ex illa Labii Confuſione ad ſe quaſi redierunt, ipſos ſtupuiſſe credo Manum illam Dei, qua admirandum adeo in modum mens eorum ita fuerat turbata, Labiumque Confuſum. Plane ut Madianitas, quum tempore Gideonis, ad clangorem buccinarum, & colliſionem hydriarum ardentium, ſubito discurrerent, gladios adverſus ſe invicem ſtringerent, & neſcio quo terrore divinitus immiſſo fugerent, *Judicum* VII. 21. 22. domum reduces majorem in modum fuiſſe miratos, qui ſibi id obtigerit, veriſimile eſt. Neque aliter ſe res habuit haud dubie cum Palæſtinis I. *Sam.* XIV. 13. *& ſeqq.* qui, quum Iſraëlitas dudum ad incitas jam redactos, & ferro omni atque armis ſpoliatos, contemnerent prorſus, ac Jonathanem cum armigero ſolum ad ſe venientem riſu & minis exciperent, ſubito tamen ab Jonathane cæſi, in ſimilem fugam & mutuam cædem ruebant. Ita vero expeditas putem, & ſublatas penitus difficultates, quæ interpretationi noſtræ τȣ̃ Σημ, *Signi*, adverſari videbantur, remotasque ſimul ab ipſo exſtruendæ Turris facto per ſe innocuo, graves adeo immanis aut horrendi criminis ſuſpiciones.

CAP.

CAP. XIV.

Geneſeos XI. Capitis *novem priores Paragraphi de Turri & Diſperſione Babylonica reſpiciunt proximum ſuperius* Caput, *ubi Familia Noachi in varias* Gentes, *& Terras, & Linguas diviſa traditur, ac rationem exponunt memoratæ iſtic Diviſionis ſeu Diſperſionis. Res ergo* Cap. XI. *narrata in ratione temporis prior fuit illis rebus, quæ* Capite X. *traduntur. Eadem eſt* Diviſio Terræ, Capitis X. *&* Diſperſio Hominum, Capitis XI. *Moſes in utraque re iisdem utitur locutionibus.* Marshamus *Triplicem facit Seceſſionem vel Diſperſionem. Homines ante* Phalegum *nondum fuerunt tanto numero, ut deberent aut vellent ab ſe invicem ſecedere.* Noachica Terræ Diviſio, *a Patribus quibusdam tradita, orta eſt ex errore Verſionis Græcæ, nec facultatem habuit, quum*

quum Terræ nondum essent nec Finibus nec Nominibus distinctæ. Nec tamen illi Secessionem tunc factam statuunt, sed tantum Designationem Terrarum, quas singulæ Familiæ postea incolerent. Ita sentiunt etiam Recentiores, qui Noachicam Divisionem *admittunt.* Sulpicius Severus *turbat Historiam, dum simpliciter ordinem dictorum* Capitum *sequitur.* Frid. Spanhemius *Duplicem facit Secessionem. Multa* Capite X. *traduntur, quæ non potueruut accidisse ante Dispersionem Hominum.* Philastrii Brixiensis *error ex eodem fonte, seu Ordine* Capitum, *ortus, dum ex* Capite X. *statuit plures Linguas jam exstitisse ante Confusionem Labii & Dispersionem Hominum. Sicuti hoc falsum est, sic & rejicienda Secessio Hominum, quæ itidem ex illo* Capite ante Dispersionem Capitis XI. *dicitur facta. Verbum* נפלגה *recte ad Occupationem diversa-*

ſarum terrarum a diverſis in Diſperſione factam refertur. Duplex Seceſſio neque a Patribus Chriſtianis, neque a Judæis, neque a Recentioribus Interpretibus agnoſcitur. Ætas Hominum vix patitur, ut diu poſt Phalegicam Diviſionem *exſtrui demum cœperit Turris ſub* Nimrodo, *qui fuit tamen vel præcipuus in ea exſtruenda. Omnes Homines, non Chamitæ ſoli, fuerunt in terra Sinear, quum fieret Diſperſio.* Dies Phalegi *quomodo ſint intelligendi. Diſperſio facta non ultimo, nec medio, Phalegi tempore, ſed circa natales ejus. Diſperſio non facta in Magnas ſtatim Gentes, nec in remotas regiones.* Capite X. Geneſ. *memorantur Gentes, quæ cœperunt ante Abrahamum, non ante Diſperſionem.* Nic Abrami *ſententia de* Diebus Phalegi. Phalegus *ita dictus, quia natus eſt tempore Diſperſionis. Similia Nominum exempla. Facta itaque Diſperſio*

paulo

paulo post centesimum a Diluvio annum ex Chronologia Hebraica, quæ præferenda Græcæ. Dispersio facta in regiones propinquas tantum. Nimrodus *post Dispersionem demum regnavit Babylone, & reliquit istic Successores. Parallelia Primæ & Veræ* Babylonis, *ac* Babylonis *Figuratæ in temporibus Novi Test.*

SUPEREST unum fere in hoc argumento expediendum, ut, postquam vidimus jam vera hominum consilia in exstruenda Turri, & rationem ac modum, quo Deus illa inhibuit & impedivit, eosque ad Dispersionem vel Secessionem, cui obviam ire omnino studuerant, adegit, ut ergo nunc ostendamus, quantum fieri potest, quo tempore Dispersio vel Secessio hæc, a qua diversarum Gentium varietas primum est exorta, acciderit: utrum tempore Phalegi, an alio; & utrum in ejus Natalibus, an vero Adulta jam ætate? Hic autem repetendum est omnino, quod diximus supra [a], Laciniam hanc, quæ

[a] *Cap.* 8. *pag.* 160. *Cap.* 9. *pag.* 200. 211. *Cap.* 10. *pag.* 230.

quæ *Capitis* XI. paragraphos priores, novem numero, seu istam *Dispersionis* Historiam, continet, prorsus respicere illas res, quæ *Capite* x. toto narrantur. Istic enim memoratur Noachi ex tribus Filiis posteritas, & in quas Terras ac Gentes divisa ea fuerit, *secundum Familias & Linguas suas*, vide §. 5. 20. & 31. Quin ultimus §. istius *Capitis* ita rem totam quasi absolvit: *Hæ sunt Familiæ Filiorum Noachi, secundum generationes eorum in Gentibus eorum; & ex illis separatæ*, seu per separationem ortæ sunt, *Gentes in Terra post Diluvium.* Tum vero subjicitur proxime Historia hæc, quæ jam tradit, quo modo *Separatio* isthæc & *Secessio* evenerit, ex qua ortæ tandem diversæ illæ *Gentes* & *Linguæ.* Nempe ante istam Separationem omnes totius Terræ homines erant *unius labii* seu linguæ, & *unius sermonis* seu locutionis §. 1. immo עם אחד ושפה אחת לכלם/ *populus unus*, *& lingua erat una illis omnibus* §. 6. Et necessum hoc erat, quum omnes utique essent unius Familiæ, & adhucdum conjuncti habitarent. Illi ergo ad cavendam Dispersionem aut aberrationem cum pecoribus suis (ut vagari in pascendo longe lateque solitos Pastores jam supra diximus) in formidolosam & horridam solitudinem, consilium inierunt ex-

ſtruendæ Turris: ſed Deus, qui volebat eos ab ſe invicem Secedere, & pios ſegregari ab impiorum multitudine & convictu, injecit invitis neceſſitatem ſecedendi ab ſe invicem in varias, ſed in propinquas primum, terras. Qua re facta, exortæ tum demum ſunt diverſæ illæ *Gentes* quaſi *Familiæ*, & diverſæ paulatim *Linguæ*, quæ illis jam tribuuntur *Cap.* x. Sic ergo Rationem & Modum atque Occaſionem Separationis iſtius Noachidarum in varias Gentes & Terras & Linguas exponit hæc Lacinia, atque adeo optimo nexu cum ſuperioribus cohæret. At in ſequentibus *Capitis Undecimi* tranſitur continuo ad unum Abrahamum, atque ejus genus per majores ſingulos breviſſime a Semo usque refertur, ut adeo nihil fere ea pertineant ad *Capitis Decimi* argumentum, aut hujus Laciniæ Hiſtoriam. Adde jam his, quod & Joſephus totam rem Hiſtorice exponat eo ordine, ut prius narret exſtructionem Turris & Linguarum confuſionem ex *Gen. cap.* XI. at dein demum Seceſſionem Hominum in diverſas illas Terras & Familias Noachidarum, *Capite* x. Geneſeos memoratas. Vide eum *libro* I. *cap.* 5. 6. 7. Diſertius etiam Auguſtinus de *Civitate Dei lib.* XVI. *cap.* 4. *Cum ergo*, inquit, *in ſuis Linguis iſtæ Gentes fuiſſe referantur* (ſcil.

Cap.

Cap. x. Genes.) *REDIT* (*Cap.* xi.) *tamen ad illud Tempus* (quod ergo jam fuit ante res *Capite* x. memoratas) *Narrator, quando una Lingua omnium fuit, & inde tum exponit, quid acciderit, UT Linguarum diversitas nasceretur.* Quum vero ipse dein ex illo xi. *Capite* retulisset Historiam exstructæ Turris, & immissæ a Deo Confusionis in sermonem Hominum, factæque ea de causa Dispersionis, subjicit, *cap.* 6. *Ex illis igitur tribus Hominibus, Noë Filiis, septuaginta tres, vel potius septuaginta duæ, Gentes, totidemque Linguæ, per terras esse cœperunt, quæ crescendo & Insulas impleverunt.* Manifestum ex his, collocare & ipsum illam Secessionem Hominum in diversas terras & familias post Dispersionem ex terra Sinear factam. Adde Eundem de *Doctrina Christiana lib.* III. *cap.* 36. ubi *Regulas* interpretandi præscribit, inque iis Hanc, quæ observanda sit, quum *dicuntur quædam, quasi sequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrentur, cum ad Priora, quæ prætermissa fuerant, latenter narratio Revocetur. Quod nisi ex hac Regula intelligatur, erratur. Sicut in Genesi* &c. Subjicit enim verba & res horum *Capitum*, adjicitque, *latenter narrationem REDIRE*, Capite xi. *ut diceretur, QUOMODO Factum sit, ut ex Una Omnium*

Lingua fuerint DIVISI per Multas, Capite x. identidem memoratas. Sequitur hanc Auguſtini interpretationem in his rebus, non modo Interpres ejus, Leon. Coqueus, ad *lib.* XVI. c. 4. *de Civ. Dei*, *ſed* & Pererius ad *Caput* XI. Geneſeos, *in initio*.

Quæ quum ita ſint, non poſſum ſatis mirari, qui factum fuerit, ut nonnulli ex Viris Eruditiſſimis Duplicem hic nobis fingant Diviſionem, vel Seceſſionem: priorem tempore Phalegi ab ipſo Noacho factam & præſcriptam, qua ſuos ipſe poſteros in varias jam dimiſerit colonias & terras, eamque univerſam totius tunc Humani Generis, ſeu omnium Noachidarum, *Capite Decimo* deſignatam: at poſteriorem per cauſam excitatæ Turris demum factam, eamque non omnium tunc Hominum, ſed tantum Chamitarum, qui in terra Sinear habitaverint. Atqui nihil de hisce rebus ſcire poſſumus, niſi ex Scriptura S. quæ tamen nullum exhibet vel minimum veſtigium Duplicis & diverſæ iſtius Seceſſionis, quum utique *priore Capite* tantum exponatur, in quas Gentes & Terras Noachidæ ſecundum ſuas Familias & Linguas per Seceſſionem fuerint diviſi aut ſeparati, *poſteriore* autem ipſa Occaſio, Cauſa, Hiſtoria, iſtius Seces-

ceſſionis & Linguarum inde ortarum tradatur. Sed & ipſe Moſes ideo in utroque Capite iisdem utitur locutionibus, ne quis nobis Duplicem iſtam diverſi generis, voluntariam & coactam, fingeret Seceſſionem. Nam ſicuti verbum פוץ in Seceſſione vel Diſperſione *Capitis Undecimi* identidem adhibet, ſic in *Cap. X.* de Cananæorum latiore Seceſſione vel Propagatione itidem illud adhibuit; ſed & *Cap.* IX. §. 19. de filiis Noachi, ex quibus ait *omnem Terram*, ſeu omne genus Humanum, *ab ſe invicem ſeceſſiſſe*, eodem verbo eſt uſus. Similiter ſicut *Capite* X. non modo de Chamitis §. 5. ſed & de omnibus Noachi Filiis §. ult. dicit, *ab illis Separationem Gentium ortam*, נפרדו הגוים/ ſic Deuter. XXXII. 8. ubi manifeſte Hiſtoriam Diſperſionis ex terra Sinear reſpicit, בהפרידו בני אדם quum *ſepararet ab ſe invicem*, ſeu *ad ſeceſſionem adigeret*, *Filios Hominum*. Ut adeo etiam ex ipſa phraſi liqueat, eandem eſſe Moſi Seceſſionem Gentium ex Noachi Filiis ortarum *Cap.* X. & Diſperſionem vel Seceſſionem totius Terræ in ſuperficiem totius Terræ *Cap.* XI. niſi quod illic longior duratio Seceſſionis deſignetur, adeo ut etiam nominentur Populi, ex Jectane Phalegi Fratre, ſeu ejus Filiis, orti: at vero *Capite* XI.

 ini-

initium Seceſſionis, & eorum tantum Seceſſio, qui jam tunc habebant idoneum familiæ numerum, ac Gentis ſpeciem, memoretur.

Non conquiram nunc omnes, qui in illam Duplicis Seceſſionis, vel Diſperſionis, ſententiam forte conceſſerint, verum duos tantum, ſed Celeberrimos, memorabo: id quod pene neceſſarium mihi eſt, quum iſthæc ſententia meæ interpretationi, atque ipſi, ut puto, Hiſtoriæ, prorſus adverſetur. Prior eſt Marshamus, qui tamen diviſionem Terræ ab Noacho in ſuos Filios & Nepotes factam cenſet Priorem etiam eſſe illa, quæ in diebus Phalegi acciderit, & hanc Phalegicam de *peculiari aliqua diviſione inter Semi poſteros, vel Filios Eberi, ſeu Hebræos, facta* interpretatur. Vide eum *pag.* 23. Cauſa illi eſt id affirmandi, quod Menem primum Ægyptiorum Regem vult ipſum fuiſſe Chamum, Noachi Filium, eumque ipſum quoque proximis poſt Diluvium temporibus in Ægyptum migraſſe, eamque inhabitaſſe, ſecundum illam Noachi diviſionem: atque adeo factum hoc diu ante Phalegi tempora, qui *Noachi* fuerit demum *Trinepos*, ſeu ſextus ab eo, ſcilicet, ſi admittitur inter illius Poſteros ex Græca Verſione Cainanus. *Illius* autem Phale-

legi *ætate dubitari non posse* ait, *quin terrarum orbis pars magna dudum fuerit habitata.* Verum hæc ita jactantur quidem, at nulla muniuntur idonea vel in speciem ratione. Nam quum omnes omnino Homines, qui exstiterunt ante Phalegi natales, ex tribus Noachi Filiis intra Centum, vel certe haud multo amplius, annos fuerint orti, nulla utique est causa statuendi, eos adeo interea temporis auctos, aut in tantum excrevisse numerum, ut non potuerint amplius nec voluerint manere in quantumvis amplo aut lato regionis tractu conjuncti, immo ut jam diu ante Phalegi ætatem in varias Orbis partes ab se invicem remotas secesserint, vel sua voluntate, vel necessitate adacti. Quam facile usque ad illud tempus *potuerint* manere conjuncti, vel ex Israëlitis liquet, qui plus quam Septuaginta numero exstitere, quum venissent in Ægyptum, & peculiari Dei providentia admirabilem itidem in modum fuerunt istic multiplicati, & manserunt tamen in terra Gosen, h. e. in una regione inferioris Ægypti, conjunctim habitantes per plus quam ducentos, immo plus quam quadringentos annos [a]. Quod autem

 non

[a] Hoc quid sit non intelligo, nec scio nunc quemquam rei Chronologicae paullo peritiorem

non ita lubenter *voluerint* ab ſe invicem, aut ab loco priſtinæ habitationis & conjunctionis, in horridas abire ſolitudines extra caſum neceſſitatis, id vero ex eo ſatis patet, quod Homines totius terræ Urbem & Turrim, magno molimine, conatu, labore, exſtruxiſſe traduntur, unice propterea, *ne diſpergerentur*, h. e. ne ulla cauſa ab ſe invicem ſecederent, ne fortuito quidem errore. Nam Petavii [a] quoque & Aliorum Hypotheſis, qua ſtatuunt omnes Homines ab anno XVII. ineunte genuiſſe liberos, & quidem Octo, vaniſſimum eſt figmentum, nulla auctoritate ſubnixum. Quin alii plerique Interpretes adeo in contrarium hæſitant, ut putent eo tempore, quo natus eſt Phalegus, nondum exſtare potuiſſe tantam Hominum multitudinem, ut ab ſe invicem ſecedere deberent, atque ideo in ultimos potius annos Phalegi illam diſperſionem rejiciant. Vide Uſſerium *Chronol. Sacræ cap.* 5. & Buxtorfii *Diſſert. Theol. Philol.* II. §. 61. Incaſſum ergo ac temere prorſus talia affirmantur, quaſi jam dudum ante Pha-

rem tradere, Iſraëlitas totos quadringentos annos, & plus eo, in Aegypto fuiſſe. *Pag.* 192. memorat *ſaecula minimum plus duo* ſervitutis in Aegypto, & erroris per deſerta.

[a] *Lib.* IX. de *Doctrina Temporum*, *cap.* 14.

Phalegum terrarum Orbis pars magna a variis populis & dispersis familiis fuerit habitata.

Quod autem Epiphanius, Syncellus, & Philastrius Brixiensis, ad quos provocat Marshamus, Noachicam illam Divisionem nobis commemorent, id vero profectum unice vel primitus ex male intellecto & verso Gen. *Cap.* XI. loco, ubi Græci פן נפוץ / *ne dispergamur*, pessime verterunt, πρὸ τȣ̃ διασπαρῆναι, *antequam dispergamur*. Hoc itaque arripuerunt Patres, finxeruntque ex eo, Noachum non modo jussisse Familias ex se ortas ab se invicem secedere, sed & dedisse singulis certas Orbis Terrarum Partes, atque ideo Homines, antequam ita ex Noachi præcepto secederent, voluisse, quasi monumentum suæ conjunctæ adhucdum habitationis, Turrim altissimam excitare. Accessit dein aliud ex Græca item Versione, quæ Esajæ XXVII. 12. נחל מצרים h. e. *Torrentem Ægypti*, vertit, Ῥινοκορȣ́ρα, quod est nomen Urbis in finibus Ægypti sitæ. Inde ergo tradiderunt quidam Patres, in eam Urbem Noachidas convenisse, & istic sortibus jactis divisisse inter se Orbem Terrarum, scilicet, quia Hebraica vox istius loci (נחל) significaverit *sortem*, quod ipsum tamen est falsum. Sed

tam frivola insuper & absona sunt omnia, ut tempus me, & meum, & Lectoris, putem perditurum, quod his confutandis impenderem; tanto magis, quoniam id jam præstitit Bochartus *Phalegi* I. 16. Sed & ipsa Noachica Terræ Divisio, non tantum Sortitio ista, satis est aliena ab rerum tunc statu, in quo *multo maxima pars Orbis nondum erat cognita*, ut itidem jam monuit *d. l.* Bochartus. Adde nondum fuisse Terram divisam in certas Regiones, Fines, Appellationes: Nulla adhuc Nomina habuisse Montes aut Fluvios, Regiones aut Maria. Non potuit ergo Noachus tot diversis Familiis, seu Familiarum Progenitoribus, qui *Capite* x. memorantur, diversos & suis finibus circumscriptos assignasse tunc terrarum tractus; quin immò ad summum & in universum potuit tantum monere Semitas, ut in *Orientem* secederent, Chamitas, in *Meridiem & Occidentem*, Japhetitas, in *Septentrionem & Occid.* quod Eum ante Dispersionem & in Ea fecisse, ut affirmare liquido non possumus, sic neque negare volumus. Verum id longe abest a Divisione singularum Regionum in Varias & Complures Familias seu Gentes. Sed tamen, si maxime fides in his habenda esset Patribus, quæ non est, vel sic non sequeretur inde, jam

jam ante Phalegum, aut illam Linguarum Confusionem, fuisse Homines in Colonias diversas re ipsa jam divisos, aut varias eos Orbis partes jam tunc incoluisse, quum ex Patrum illorum sententia Noachus tantum diviserit suis Jus aliquod in diversas Orbis Terras, easque illis non facto ipso jam tum dederit, sed destinaverit tantum & assignaverit: quam divisæ sic terræ Destinationem secuta dein demum fuerit illa Hominum Dispersio ex terra Sinear in totum terrarum orbem post impeditam a Deo Turris exstructionem. Et hoc ordine procedunt fere etiam reliqui Patres, qui Noachicam illam Divisionem tradiderunt. Vide omnino præter illos ipsos a Marshamo jam citatos, etiam Eusebii *Chronicon Græcum Pag.* 9. 10. 11. Sed & ex Recentioribus multi, eos secuti in recipienda Noachica Divisione, non aliter tamen eam receperunt, quam ut, quæ a Noacho facta est, fuerit tantum *verbo facta*, at, *quæ in constructione Babylonicæ Turris*, *re ipsa* fuerit facta. Ita certe Salianus in *Ann. Eccl.* ad Annum Phalegi primum, quo ille refert Noachicam Divisionem, sicuti demum ad annos Phalegi medios veram Secessionem, de utraque sic insuper ibi locutus: *Ita quæ nunc sub ortum Phalegi facta est Divisio, non nisi DIU POST,* *occa-*

occasione divisionis Linguarum, *IN REM deducta est.* Ferri ista possent, quippe quibus tantum Una agnoscitur vel admittitur Secessio, certe nulla Prior, quæ ante Confusionem Labii fuerit facta, ut illi volunt, contra quos hic disputamus.

Ex Veteribus tamen Sulpicius Severus *lib.* I. aliter, sed satis intricate & ambigue, hac de re loquitur. Nam ait, *Chami Filius Chus Nimbrod gigantem genuit, a quo Babylon Civitas constructa traditur. Pleraque etiam oppida ea tempestate condita memorantur. Sed cum multiplicaretur humanum genus, diversaque Loca atque Insulas mortales haberent, una tantum omnes Lingua utebantur, donec se in unum Dispergenda per totum orbem multitudo contraxit. His consilium fuit insigni aliquo opere famam quærere, PRIUSQUAM a se invicem diducerentur. Ita turrim &c. Sed Filiis Noë ita divisus Orbis fuit, ut Sem intra Orientem, Japhet Occidentem, Cham Mediis contineretur.* Videtur in his velle, Homines adeo tunc multiplicatos, ut jam ante Turrim exstrui cœptam varia condiderint oppida, atque in diversa LOCA & INSULAS ab se invicem abierint, sed inde, quasi ad tempus modo abiissent, futili plane de causa rediisse postea & se contraxisse in unum Locum, unde mox essent tamen in per-

perpetuum denuo diducendi, ſeu diſpergendi, ſed ſecundum diviſionem a Noacho antea factam. Verum ſi ad res, quas narrat, attenderimus, facile deprehendemus, illum, nulla prorſus temporis aut Chronologiæ habita ratione, ſecutum ſimpliciter atque imprudenter Ordinem rerum, quo in Geneſi *Capp.* x. & xi. eæ traduntur, nec animadvertiſſe, Hiſtoriam Turris, qua ratio redditur priorum, ſeu cauſa & modus exponitur Diſperſionis & Separationis in prioribus jam memoratæ, fuiſſe, ut debuit, tempore Priorem. Nempe *Capite* x. de Nimrodo inter poſteros Chami quum agitur, ſubjicitur continuo, tenuiſſe eum Babylona, aliaque oppida, ſicuti Aſſur tenuerit Nineven &c. Sed & ibidem in Græca verſione tribuuntur §. 5. & ult. poſteris Noachi Νῆσοι τῶν ἐθνῶν, *Inſulæ gentium.* Inde ergo illa arripuit, quæ de *Babylone & plerisque oppidis*, ut & de *diverſis locis ac Inſulis*, quæ jam tunc habuerint Homines, temere adeo tradit. Sed dein, ut connectat tamen cum hisce Hiſtoriam *Capitis Undecimi*, fingit de ſuo, Homines ex illis diverſis Locis & Inſulis denuo *contraxiſſe ſe in Unum*, agnoſcens ergo & ipſe, quod verum erat, omnes omnino Homines in excitanda Turri fuiſſe conjunctos, & inde demum in per-

pe-

petuum dispersos, atque adeo neutiquam istic de Chamitis tantum, aut parte quadam generis Humani, sed de Universa agi Omnium multitudine, in perpetuum tunc dispergenda.

Longe rectius id quidem ille, quam Marshamus, qui ex Una Dispersione Tres nobis excudit: primum illam *Noachicam*, per quam, jam ante Phalegi tempora, magna pars orbis terrarum fuerit habitata; Dein illam *Phalegi diebus factam*, sed tantum inter Semi, aut Eberi, liberos; Tertiam vero ex *Capite* XI. *Genes.* quæ obvenerit Chamitis solis, in exstruenda Turri occupatis, vel *infidelibus illis Filiis Hominum, qui post Diluvium ab Oriente profecti in valle Sinear consederint &c. sed qui architecti in omnes terras sint dispersi:* Sic loquitur *pag.* 478 [a]. ubi negat Babylonem ab illis conditam, quia irritum *fuerit tantæ molis μηχάνημα.* Satis autem ex hisce apparet, etiam Hanc Dispersionem ipsum facere diversam ab illa *Noachica*, immo & illa *Phalegica*, quæ tamen fuerunt omnes plane una eademque.

Alter, cujus sententiam excutere hic debemus, est Eruditissimus Vir, Frid. Spanhemius, Filius, Venerandus nuper nostri Ordinis Collega. Is enim in novissi-

a *Pag.* 508. *Ed. Lips.*

viſſimis *Chronologiæ S.* ut & *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Editionibus diſerte itidem diſtinguit inter non tam Diviſionem, quam *Seceſſionem Noachidarum*, re ipſa jam factam diebus Phalegi, & *Diſperſionem* ædificantium Turrim in terra Sinear, poſtea factam. *Præceſſiſſe* enim *Colonias Noachidarum*, *& Diviſionem Terræ Gen.* x. 21. *quæ non ſit confundenda cum nata poſt Confuſione & Diſperſione in ædificatione Turris Babel:* Immo Hanc vix cœpiſſe, vel *Nimrodum vix regnare cœpiſſe, niſi ſesqui poſt ſæculo, quando ex Chuſeſtana regione fluvium ſuperavit*; eumque porro ait *Arabum ſuorum copiis adjutum, ex Oriente trans Tigrim profectum, gradum ſibi feciſſe ad imperium, initio Regnandi facto in campeſtribus Sinear*, &c. Vide Eum *Hiſt. Eccleſ. col.* 291. 292 [a]. Rationes autem ibi nullas invenio, quibus ſententiam Duplicis illius Diviſionis vel Diſperſionis confirmaverit. Similiter in *Chronol. Sacræ col.* 165. tradit Diſperſionem ex terra Sinear factam *annis compluribus poſt Colonias deduci cœptas*, & iſtam Turrim exſtruxiſſe *Chami potius, quam Semi, aut Japheti genus.* Quin *recte illos cenſere, qui Diſperſionem Gentium ex Linguarum Confuſione, negent accidiſſe eo tempore, quo natus ſit Phalegus*, quippe quo *illæ*
Co-

[a] *Edit. Lugd. Bat.* Ann. MDCCI.

Coloniæ deduci cœperint, quæ deductio fuerit prius, at *non ſimul & ſemel*, *ſed ſucceſſive facta per omnes Phalegi dies.* Verum neque iſtic rationes reperies ullas, quibus hanc ſuam opinionem adſtruxerit Vir Summus: ut adeo nihil in his habeam, niſi contrariam plane meæ interpretationi, cujus fundamenta nullam in partem ſubruta video, affirmationem. Ea tamen quia magnæ in his rebus eſt auctoritatis, ab illo quippe profecta, ac ſcripta dudum poſt ſuperiora Hujus Diſſertationis jam a me edita, cavendum ergo eſt, ne quid illa veritati noceat, h. e. ne a vero abducat imprudentes lectores.

Sed moleſtum mihi accidit, quod neſciam, quibus tandem argumentis ille in hanc ſententiam fuerit delapſus, aut quibus Ego reſpondere debeam. Si Ordo narrationis in S. Scriptura, qui certe decepit, ut oſtendimus, Sulpicium Severum, præcipui in hoc negotio argumenti vicem ipſi præſtitit, ſatis liquido nos ejus rationem in contrarium paulo ante expoſuiſſe reor. Sed & nihil frequentius in Hiſtoriis, quam ut per occaſionem, & obiter, factum ipſum memoretur prius, ac dein cauſa & modus facti ex profeſſo demum enarretur. Quin in ipſa S. Scriptura ferme, quoties litera ו *Vau* per *Nam* verti-

vertitur, repetitur utique Ratio rei jam expositæ ex facto aliquo priore, sed quod posterius & tunc demum narratur. Et ita hic (Genes. XI. 1.) quoque vertitur illa ab Junio, seu Tremellio. Vide & XXIV. 62. Porro autem agnoscit ipse Spanhemius *Linguarum* diversitatem ex hac demum Dispersione & Confusione Labii ortam. Nam diserte ait *col.* 165. eam *inter illos ædificatores Turris primum natam, nondum inter omnes Noachi posteros.* Atqui in *Capite* X. ut *Divisionis Terræ* ac Posteritatis Noachi in varias Familias & Gentes, sic & varietatis *Linguarum* sæpius fit jam mentio, dum Noachidæ istic divisi identidem dicuntur in varias Familias & Gentes *secundum suas Linguas*: eoque argumento persuasus Philastrius Brixiensis in *Catal. Hæres. cap.* 106. censuit *jam ante ædificationem Babel multis sæculis magnam fuisse inter Homines Linguarum varietatem*; quod vero dein dicantur, Omnes *Unius fuisse Labii*, eo sensu dictum id existimavit, *quia, etsi varia erant Linguarum genera, Omnes tamen se invicem intelligebant*, & sic *Una erat omnibus Lingua, non quidem eorundem vocabulorum usu, sed eadem omnium loquentium & audientium intelligentia.* Rejiciunt quidem Viri Eruditi hanc tam absonam interpretationem, & illam diversita-

 tem

tem Linguarum ante Confusionem Babelicam, sed deberent ergo rejicere etiam illam Secessionem in varias colonias ante Dispersionem Babelicam, quum utriusque rei eadem prorsus sit ratio, & utraque sententia ex eodem *Capite* x. vel ordine *Capitum* x. & xi. sit petita. Quid igitur? Clarissimo hæc sunt indicio, Ordinem illum narrationis Mosaicæ, seu istorum *Capitum*, nihil obstare, quo minus statuamus confidenter, omnia istius *Divisionis* seu Secessionis *Capite* x. memoratæ, evenisse demum post illam *Capitis Undecimi Dispersionem*, & *Labii Confusionem*, unde demum *Linguarum* varietas cœpit.

Sed & quando *Cap.* x. fines Cananæorum definiuntur, a *Sidone Geraram, & Gazam usque*, & a *Gaza Sodomam, & Leschahum usque*, an quisquam persuadere sibi poterit, ante Turris exstructionem tentatam, isthæc & plura jam exstitisse loca, iisque finibus jam tunc circumscriptam Cananæam? Adde his tot alias Gentes vel Regiones remotissimas, isto *Capite* x. jam memoratas, veluti Thraciam, Græciam, vel Insulas maris &c. Vide Bocharti *Phaleg.* I. 16. & maxime Salianum ad *Annum Mundi* 1931. & ex Veteribus Josephum I. *Antiquit.* 7. ac Eusebium *Chron. Gr. p.* 11, 12. Jam vero an credi-

credibile eſt cuiquam animum attendenti, in longinquas adeo terras circa Natales Phalegi, ſeu annum centeſimum a Diluvio, ſecesſiſſe jam Noachidas? Quæ enim potuiſſet illis fuiſſe cauſa remotas adeo regiones ſtatim petendi, quum utique in longe propioribus laxe ſatis habitare & paſcere, ac alimenta abunde ſibi pecoribusque ſuis invenire poſſent? Quin immo tempore Abrahami ipſa Palæſtina etiamdum vacua magnam partem jacuit, ut liquet ex ejus verbis ad Lotum Geneſ. XIII. 9. 10. &c. *Nonne omnis terra hæc tibi patet?* ut ſcil. eligas, in quo ejus loco habitare velis. Et tamen Gentes ac Familiæ Noachicæ, quæ iſtas Remotas adeo Regiones tenuerint, illo *Decimo Capite* jam memorantur. Denique & Jectanis, qui Phalegi fuit frater, XIII. Filii iſtic quoque nominantur, tanquam Auctores Gentium, & Ductores Coloniarum. Quis vel ex eo non videat, tradi iſtic etiam res diu poſt Phalegi dies vel tempora geſtas? Nam ſi maxime Jectan Phalego ſtatuatur natu paulum major, quod multi ſola iſtac difficultate moti temere faciunt, vel ſic tamen non potuerunt utique illi XIII. ejus Filii quoque majores Phalego fuiſſe, neque Hujus diebus eam jam habuiſſe progeniem & familiam, ut ſinguli cum ſua

 in

in proprias ſecederent terras, & Gentem novam jam tunc conderent, licet *Capite* x. inter illos Progenitores Gentium, quæ ſecundum Familias ſuas & Linguas diverſis habitarint in terris, ipſi quoque memorentur, & ab Interpretibus eodem in his loco, quo reliqui, habeantur ac recenſeantur. Quid multa? Certum ſatis ex iſtis omnibus, nihil argumenti ſitum in illo narrationis Ordine, ut ex *Cap.* x. novam & propriam fingamus Hiſtoriam, quæ acciderit ante Diſperſionem Hominum *Cap.* xi. memoratam, quum pleraque illius *Capitis* x. debeant neceſſario ad tempora longe poſteriora referri.

An vero Verbum פלג *Diviſit* (unde *Phalegus* nomen ſuum habuit, quia *in diebus ejus diviſa* (נפלגה) dicitur *Terra*) movit Eruditos, ut putarint ea *Diviſione* aliud quid, vel conſultum quid, deſignari potius, quam fortuitam, & ſubitam illam Diſperſionem ex terra Sinear? Et ſane fuiſſe Theologum Celebrem ſcio, qui Duplicem Seceſſionem tuebatur, & hoc vel maxime nitebatur fundamento. At lubricum id plane eſt & frivolum, ut nihil magis. Nam per & poſt illam *Diſperſionem* utique etiam *Diviſio* quædam Terræ a Noachidis, quousque eam tunc occuparunt, re ipſa fuit facta, dum in hac

ejus

ejus parte Hi, in alia Alii consederunt. Quapropter ipsi etiam Judæi, veluti Aben-Ezra ad *h. l.* tum Auctor *Seder Olam*, sed & omnes illi, qui Dispersionem hanc ad ultimos Phalegi annos referunt, ipsam illam Dispersionem, ex Confusione Labii ortam, vocant semper הפלגה *Divisionem*. Quin & in S. Scriptura verbum illud etiam de naturali Secessione Rerum ab se invicem, immo & coacta Dispersione unius in res plures & incertas, adhibetur. Sic David *Psalmo* LV. 10. ad Deum, פלג לשונם / *divide, sparge, confunde, Linguam eorum*, h. e. fac, ut illi inimici mei diversa loquantur, sicuti *divisa* tempore Phalegi dicitur *Terra*, dum Deus fecit, ut diversi Homines diversas ejus partes tunc occuparint. Similiter varii Rivi ex uno Fonte & Flumine profluentes dicuntur frequenter פלגי מים *Rivi aquarum*, quia scil. ex uno flumine ab se invicem secesserunt, sicuti Homines ex Una Terra Sinear in Varias alias se separarunt.

Sed forte auctoritas Patrum de Divisione Terræ ab Noacho facta, hanc opinionem duplicis Secessionis vel Dispersionis injecit novissimis Interpretibus. At ostendimus, illam ipsam ex errore Græcæ versionis ortam, & forsan etiam ex denun-

ciatione Noachi ad ſuos Liberos nomine Dei facta, ut ab ſe invicem in diverſas ſecederent terras: deinde vero Patres tamen ipſos non ſtatuiſſe Duplicem Diſperſionem, ſed cenſuiſſe, Diviſione Noachica deſtinatas tantum aut aſſignatas diverſas poſteris ejus terras; neque vero ſtatim illos in earum poſſesſionem miſſos: quin immo eveniſſe hoc demum poſt ædificationem Turris tentatam: eam autem ipſam ſusceptam tunc, *Antequam diſpergerentur*, ſeu ab ſe invicem ex denunciatione Noachica ſecederent, quod proinde crediderint adhuc futurum. Nondum ergo facta tunc jam erat ex Patrum ipſorum ſententia ulla prior Secesſio, ſed facta demum poſt Confuſionem Labii. Sed & ſi qui ex Patribus qualemcunque Secesſionem in latiores fines jam factam autumabant, illi ſolo narrationis Moſaicæ Ordine in eam opinionem temere ſunt inducti: quod jam ſupra de Sulpicio Sev. & Philaſtrio Brix. probavimus. Et tamen vel ſic illi eam quaſi ad tempus, & tantum, ut paulo latius & commodius habitarent, factam ſtatuiſſe videntur, & ideo Homines in univerſum omnes rediiſſe cenſent ex variis illis locis *contractos in unum*, ut pariter monumentum illud nominis ſui excitarent, & famam ſibi quærerent,

PRI-

PRIUSQUAM a ſe invicem diducerentur, ſcil. in perpetuum ex præſcripto Noachi. Ea certe Sulpicii fuit ſententia. Vide ſupra *pag.* 364. *&c.*

Sed jam, Patribus relictis, videamus etiam, quid Judæi ſenſerint. Illi vero diſerte Phalegicam Diviſionem, & Diſperſionem Babylonicam, pro eadem re habent, ac Abrahamum in ipſa Phalegica Diviſione tradunt jam annos fuiſſe XLVIII. natum, nec tamen ambulaviſſe in viis ædificantium Turrim. Vide Buxtorfium *Diſſ. Theol. Philol.* II. quæ agit *de Linguæ Hebr. Confuſione* §. 64. & ſeqq. ac Heideggerum *Hiſtor. Patriarch. Exerc.* XXII. §. 3. Idem porro ſenſiſſe Græci quoque Interpretes videntur, dum nequaquam diſtinguunt ſuis locutionibus *Separationem* Capitis X. & *Diſperſionem* Capitis XI. Nam ſicuti verbum פוץ in illis, *ne diſpergamur*, *&* *diſperſit eos Deus*, vertunt per verbum Διασπαρῆναι, & Διέσπειρεν, Cap. XI. §. 4. 8. & 9. ſic priore Capite verbum נפרדו *ſeparata ſunt*, itidem vertunt, modo per Ἀφωρίσθησαν §. 5. modo per Διεσπάρησαν §. ult. ſed & ita §. 18. καὶ μετὰ τȣ̃το Διεσπάρησαν αἱ φυλαὶ τῶν Χαναναίων: ut adeo de utriusque Capitis *Seceſſione*, tanquam eadem, eandem adhibuerint locutionem. Adde Deuteron. XXXII. 8. Quod ſi jam noviſſimorum

 ſæcu-

ſæculorum Interpretes perluſtremus, vix reperiemus quenquam Duplici *Seceſſioni* faventem, immo neque in illis, qui *Diviſionem Noachicam* arripiunt, & tempore aliquanto priorem ſtatuunt *Diſperſione Babylonica.* Nam & hi illam *Diviſionem* in ipſa *Diſperſione* demum in Rem deductam cenſent, ut cenſuit vel maxime Salianus, cujus Verba ſupra *p.* 363. exhibui, ut & nuperi Obſervatores Halenſes *Tom.* IV. *Obſerv.* XIII. §. 2. Sed & diſerte Abramus in *Pharo Vet. Teſtam. pag.* 108. *Omnes ad Unum, etiam ipſi illi, qui alias temporis inveſtigandi vias inierunt, fatentur, hæc* (quod ſcil. in Phalcgi diebus diviſa ſit terra) *ad Chronologiam Confuſionis Babylonicæ pertinere.* Immo adeo abſurdum credidit Heideggerus, ſtatuere poſt miſſas jam Colonias demum Diſperſionem Babylonicam, ut eo abſurdo refutaverit quoque ſententiam illorum, qui Diviſionem ſeu Diſperſionem ultimis annis Phalegi factam tradiderunt. *Faceſſat igitur*, inquit *Hiſtor. Patr. d. l. tam cruda opinio, ex qua ſequeretur, poſt magnam partem* τῆς οἰκυμένης *jam habitatam, demum Diſperſionem factam eſſe.* Et ſequuntur has partes Belgæ noſtri, tum Uſſerius, Petavius, Coccejus, Natalis Alexander, atque alii innumeri.

Sed tamen ex iis, qui Græcam S. Scri-

Scripturæ Chronologiam ſequuntur, nonnulli Seceſſionem quandam ex præcepto Noachi jam ante tempora vel dies Phalegi factam cenſent, quia longius illis videtur ſpatium inter Diluvium & Phalegi natales, quam ut Homines tamdiu manſerint conjuncti, & quia Noachus ſecundum ipſorum Chronologiam jam ante Phalegi natales fuit mortuus, quippe quum, addito etiam, quod faciunt, Cainane ex Græca Verſione, anni a Diluvio usque ad natum Phalegum ſint 531. Noachus autem poſt Diluvium vixerit 350. tantum annis. Hinc ergo Pezronius in *Antiquitate Temporum*, *cap.* 13. *p.* 158. credere videtur, jam ante, quam exſtrui cœpit Turris, Chamum in Ægyptum, & ceteros Noachi Filios in alias abiiſſe terras. Idem tamen *cap.* 5. *p.* 52. 53. *Diſperſionem Populorum & Diviſionem terræ* nato demum Phalego factam tradit.

Nihil ergo reperio, quo inductus fuiſſe potuerit Vir Eruditiſſimus, qui Hebraicam ſequitur Chronologiam, ad ſtatuendam Duplicem illam & diverſi temporis Seceſſionem, ſententiam ſi non plane Novam, certe parum receptam: habeo multa in contrarium, quæ partim jam expoſui, partim nunc explicabo. Nam ſi conſideremus ætatem Hominum,

parum conveniens & eo nomine videbitur, res *Capitis* x. referre ad tempus longe antiquius exſtructione Turris. Etenim vix eſt quisquam, qui dubitet, quin inter illos, qui Turrim excitare voluerunt, vel præcipuus fuerit Nimrodus. Diſerte ita Joſephus, & alii, immo ipſe Spanhemius. Nec rationes deſunt, ſi quis eas inveſtigare velit. Nam primum, conſilium hocce captum haud dubie fuit contra ſententiam & præceptum Noachi, cui auſcultare debuiſſent. Erat hæc ſpecies *Rebellionis*, a qua nomen habet apud Scriptorem Sacrum Nimrodus. Certe enim a *rebellione* fuit ſic dictus; at nullius alterius Veſtigium vel minimum reperimus in S. Hiſtoria. Vide jam ſupra *Cap.* 8. *pag.* 182. &c. Deinde, *magnus* ille dicitur fuiſſe *Venator*, quo merito idoneus vel maxime fuit ad factionem ſibi comparandam, & reliquos Homines ad id impellendos, ut Noacho, ſicuti debuerant, minime obtemperarent. Denique diſerte dicitur cap. x. *Principium Regni ejus fuiſſe Babylonem* ipſam, quæ tamen ex illis fundamentis Urbis & Turris condendæ demum fuit orta, & ab illa Linguæ *Confuſione* dicta. Jam vero Nimrodus hic fuit Pronepos, ſeu Tertius a Noacho, & haud dubie in flore ætatis potiſſimum *Venator*
adeo

adeo *magnus* fuit, ac Auctor condendæ iſtic Urbis, & Turris, & Regni. At quomodo his jam cohæret, ſtatuere Diviſionem Terræ in Natalibus Phalegi cœptam, longe, ſeu *ſesqui ſæculo*, ut ajunt, antiquiorem facto Nimrodi? quum Phalegus fuerit, ſi non Sextus, interpoſito ex Græcis Interpretibus Cainane, certe Quintus a Noacho, ultra quem gradum excurrunt inſuper XIII. Jectanis Filii in eodem *Capite* X. memorati cum Finibus ſuis, intra quos cum ſua ſinguli familia habitarint, verum haud dubie longe poſt Diſperſionem hominum ex terra Sinear. Deinde a natalibus Phalegi usque ad Patrem Abrahami, Therachum, non reperies in Scriptura Hebraica annos plures, quam CXXI. atque ita ſesqui ſæculum, quod eſt CL. annorum, poſt natum Phalegum, adeoque ipſa illa Turris exſtructio incidiſſet in adultam plane ætatem Therachi, quod utique veriſimilitudinis nihil habet, quamvis non ignorem, Judæos eam diebus tamen Phalegi, ſed extremis, factam ad tempora usque Abrahami demittere, ſed quod certiſſimi eſt erroris.

Porro autem falſum eſt, & clariſſime jam a me confutatum in *Cap.* 8. *p.* 161. & *ſeqq.* quod affirmant, *Solos Chamitas*, vel *Nimrodum Arabum ſuorum copiis adjutum*,

tum, Turrim illam exſtruere auſos, & ideo diſperſos. Diſertiſſime enim id feciſſe dicitur *Omnis Terra, quæ adhucdum erat Linguæ unius*, ſed & *Deus confudiſſe tunc & iſtic Linguam Totius Terræ*, quod utique nihil aliud notat, quam Turrim illam exſtruxiſſe omnes Homines, qui tunc erant univerſa in terra, & qui omnes una eademque adhuc utebantur Lingua, ſed quam Deus confudit per iſtam occaſionem, ſicuti ipſos Homines ita quoque ad ſecedendum ab ſe invicem tunc adegit, unde illa Linguarum diverſitas deinde eſt exorta. Quin eodem plane ſenſu dicitur Gen. IX. 19. orta ex illis tribus Noæ Filiis ſeceſſiſſe ab ſe invicem *Omnis Terra*, h. e. omne genus Hominum, quod dein exſtitit per totum terrarum Orbem. Quin ſicuti *una Lingua* erat omnibus omnino Hominibus, quod omnes agnoſcunt, ſic tunc omnes Homines unius Linguæ erant quoque עם אחד *Populus unus*, h. e. ad inſtar Populi aut Civitatis conjunctim una in regione adhuc habitans. Sed & quod dicuntur identidem metuiſſe, *ne ſpargerentur*, & *ſparſi a Deo*, על פני כל הארץ *in ſuperficiem Totius Terræ*, non deſignat id Diſperſionem ſeu Seceſſionem unius Catervæ vel Partis Hominum. Neque enim Chamitæ ſparſi ſunt in *omnes terras*, ſeu in

in terras quoque a Semitis ac Japhetitis possessas. Sed convenit ista locutio in totum Genus Humanum, quod & dein revera per universum terrarum orbem fuit Sparsum. Sic Act. XVII. 26. *Deus fecit ex uno sanguine* πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, h. e. *omne genus Hominum habitare in omni Superficie Terræ*, ubi Græcis verbis hæc ipsa Hebraica phrasis exprimitur. Manet ergo certum & clarum, Dispersionem totius Generis Humani ex terra Sinear primum factam; ac per eam Posteros Noachi divisos dein in illas Familias, & Gentes, & Linguas, & Terras, quæ memorantur *Capite Decimo*.

Quocirca sicuti vix quisquam est, qui dubitet, quin Historia exstruendæ Turris in terra Sinear, seu Babylonica, & Historia Nimrodi *Capite Decimo* memorata, respiciant se invicem & illustrent, sic neutiquam dubitandum arbitror, quin Dispersio Generis Humani per superficiem totius Terræ in *Capite Undecimo*, & Divisio Terræ in diebus Phalegi facta in *Capite* X. respiciant quoque se invicem, atque adeo utroque loco eadem res designetur, ac ita Dispersio Hominum ex terra Sinear vere facta sit in illis *Phalegi Diebus*. Verum hic nova oritur difficultas,

tas, quo tempore Vitæ, ſeu *Dierum*, *Phalegi* acciderit. Spanhemius noſter cœptam ipſis in Natalibus Phalegi putat Diviſionem ſeu Seceſſionem in varias Colonias, ſed continuatam *ſucceſſive* per omne illius Vitæ ſpatium. At quæ, obſecro, ratio eſt coërcendi intra terminos vitæ illius iſtam in varias ſubinde Colonias Seceſſionem, ſeu iſtas *ſucceſſivas* novorum Populorum origines, quum utique etiam poſt Phalegi tempora novi identidem Populi fuerint exorti, & ab reliquis in propria ſibi loca abierint? Sumamus ipſum Abrahamum, ex quo utique per Iſacum orti dein Iſraëlitæ & Idumæi & Amalekitæ, per Iſmaëlem Iſmaëlitæ, per filios ex Cethura Madianitæ, aliique. Vide Geneſ. *Caput* xxv. Quapropter nequaquam illo ſenſu videtur accipienda hæc *Phalegica Diviſio*, ſed ita, ut acciderit uno & certo tempore Phalegi ex peculiari tunc cauſa, & ſubito voluntatis divinæ effectu, quando ſcilicet immiſſa fuit in Homines *Labii* ſeu Linguæ *Confuſio*. At poſtquam ita tunc Homines, qui adhucdum conjuncti fuerant Omnes, ſeceſſerunt ſemel in diverſa, ſed proxima, Loca ex terra Sinear, tum vero deinceps multas etiam alias Seceſſiones fuiſſe in remotiora loca factas, etiam diu poſt Phalegi tempora, nullum mihi eſt dubium.

Alii

Alii vero *dies Phalegi* accipiunt proprie de ejus vel Natalibus, vel ultimo anno, vel etiam medio vitæ tempore. Qui ultimum arripiunt annum, ut faciunt Judæi (Vide *Seder Olam Rabba* in ipso initio) & Christianorum quidam illos secuti, his maxime utuntur argumentis; quod fidem superet ex tribus Noachi Filiis circa natales Phalegi, h. e. centum annorum spatio, tantam prodiisse hominum multitudinem, ut tot in Gentes se dividerent, tot terras cis & ultra mare occuparent, & incolis implerent; deinde, quod certe Jectanis Filii XIII. quorum Patruus fuit Phalegus, intra illud tempus, h. e. ante natum Phalegum, ita se in posteros suos propagare minime potuerint, ut tanquam tot Gentium Capita & Auctores in Divisione Terræ tunc facta reliquis Gentium Progenitoribus annumerari debuerint, sicuti factum tamen videmus Gen. *Capite Decimo*. Sed res profecto mira, perversis adeo modis accipi totum hoc negotium ab Interpretibus, ut implicent se variis difficultatibus, quæ nullæ sunt. Etenim satis ex ipso Mose patet, neutiquam exstitisse tunc, quum Dispersio fieret, tantam Hominum multitudinem, quin potuerint facile uno in loco vivere conjuncti. Immo illi ipsi studiose utique cavere volue-

luerunt, *ne dispergerentur*, seu ab se invicem quoquo modo abirent aut aberrarent: satis eo ipso declarantes, existimasse ergo, se adhuc diu deinceps posse ita conjunctim habitare. Imperite igitur *Major* aliquis ab Interpretibus ad Secessionem tum vere factam requiritur *Numerus*, quum diserte nos Scriptura S. doceat, *omnem Terram* devenisse pariter in campestria Sinear, & istic voluisse Urbem sibi, in qua deinceps habitarent, exstruere tum maxime, quum inde a Deo in diversas secedere terras jam juberentur & cogerentur. Sed neque Indoles rei desiderat *Majorem* illum *Numerum*. Neque enim Secessio statim fuit facta, ut ostendemus postea, in multas & numerosas plane Gentes, neque per totum terrarum orbem in regiones valde remotas, sed in paucas tantum & exiguas adhucdum Familias, ac loca terræ Sinear proxima: verum unde dein Homines, numero aucti, longius paulatim secesserunt, & ita ex se majores etiam, sed posteris demum temporibus, reliquerunt Gentes. Sed caput & principium erroris est, quod existimant plerique, in Dispersione Babylonica, seu Divisione Phalegica, debere non modo jam exstitisse omnes illos, qui *Capite* x. tanquam Progenitores Familiarum & Gentium enumerantur, sed

&

& habuisse ipsos jam tunc progeniem amplissimam, cum qua in coloniam separatam abire, & proprium sibi condere populum, etiam in longinquis regionibus istic itidem memoratis, potuerint. Hoc autem neutiquam convenire censent in natales Phalegi, seu in annum a Diluvio centesimum & primum, quando nequaquam tot Gentes jam potuerint exstitisse. Et recte id quidem: sed minime perspiciunt illi mentem Mosis, qui *Capite* toties dicto haudquaquam sibi propositum habuit commemorare Familias & Gentes, quæ statim in ipso Divisionis seu Dispersionis momento jam cœperint, sed potius omnes illas, quæ post Divisionem istam, seu Dispersionem tempore Phalegi cœptam, exinde usque ad Abrahamum, seu a Patriarchis ante Abrahamum, fuerint exortæ, quippe ad cujus Historiam proximo statim *Capite* post expositam Dispersionis causam & initium progreditur, & in qua dein variarum Gentium *Capite* x. memoratarum mentionem jam facit. Hæc si observentur, quæ certissima sunt, uti jam observavit Doctiss. Usserius *Chronol. Sacræ Cap.* 5. tum vero nulla in his supererit difficultas, neque ex Hominum numero tempore nati Phalegi, neque ex Jectanis Filiis, qui facile

cile non quidem illo, ſed Abrahami tempore, proprias ex ſe Gentes ſeu Civitates, verum exiguas, ut omnium Gentium prima initia fuerunt prorſus exigua, condidiſſe jam potuerunt, durantibus eo usque, immo & longe poſt, Seceſſionibus Familiarum ab ſe invicem, quæ in natalibus Phalegi quidem cœperunt, at repetitæ dein ſæpius, etiam poſt Abrahamum, ſicuti ex Eo ipſo, ejusque Liberis, immo & Fratribus & Agnatis, multas dein novas Gentes primam traxiſſe originem ſcimus. Neque vero opus tunc erit, Jectanem hac una de cauſa, quod cum XIII. Filiis *Capite* X. quoque memoratur, Phalego ſtatuere majorem, quod illi itidem faciunt, ſed male, ut diximus.

Sunt jam alii, inque iis Salianus, & Petavius ipſe, *de Doctrina Temp.* IX. 13. qui in mediam Phalegi ætatem conjiciunt Diſperſionem Babylonicam, ſeu Seceſſionis initia, ſed falſo prorſus argumento. Nempe arripiunt ex Cteſia, & iis, qui eum ſequuntur, longam illam durationem Monarchiæ Aſſyriacæ, ſecundum quam Abrahamus anno Nini regnantis XLIII. fuerit natus. Hos itaque Nini, & porro Beli patris ejus, quem Nimrodum fuiſſe volunt, annos ex Euſebio compu-

tant,

tant, eorumque initium in mediam fere Phalegi ætatem deferunt. Inde ergo Nimrodei Regni principium, inde Babelis originem, inde Seceſſionis ſeu Diſperſionis initia tunc repetunt. Sed falſum, Ninum Aſſyrium, atque ideo *Semitam*, Nimrodi *Chamitæ* fuiſſe Filium: falſum, tam antiquo tempore eum vixiſſe, quod liquido oſtendemus, ſi Deus vitam dederit, in *Aſſyriacis*, ſed & ultro jam agnoſcunt plerique Eruditiſſimi Viri. Longe ſpecioſior eſt Abrami ſententia (Vide ejus *Pharum lib.* IV. *cap.* 12, 13, 14.) qui a Patribus diſcedere non auſus, Noachicam Diviſionem Diſperſioni Babylonicæ præmittentibus, ſatis argute auguratur, Diviſionem illam teſtamento Noachi fuiſſe factam, quum tantum quod natus eſſet Phalegus, at Diſperſionem ac Seceſſionem dein eveniſſe intra XXX. annos, qui inter ipſius Phalegi Natales, & illud tempus, quo ipſe jam genuit Filium Rehu, interceſſerint, & qui proprie ſint *Dies Phalegi*, ſiquidem ex iſtis unice annis Patriarcharum Chronologia S. conſtet, atque ideo in ea illud iſtius intervalli tempus, ſeu illi iſtorum anni, ſint proprii cujusque Patriarchæ *Dies*. Arguti prorſus & concinni hoc eſt commenti, in quo nihil traditur abſonum aut a vero

 valde

valde abhorrens, si quo fundamento idoneo niteretur Noachica Divisio, seu testamento, seu sorte, facta. Sed quum illa ex errore Græcæ Versionis apud Patres primitus sit orta, nulla idcirco talis Divisionis, cujus nullum reperimus in S. Scripturæ Historia vestigium, habenda hic nobis est ratio, nec causæ habemus quidpiam, quare a genuina Hebraici Textus simplicitate recedamus. Quapropter nullus dubito, quin *Divisio* isthæc *Terræ*, *& Dispersio per superficiem totius Terræ*, acciderit tempore eo, quo natus est Phalegus, sed paulo forsan latius sumpto. Etenim debuit aliquid in hac re proprium fuisse Phalego, quare ab ea ipse præ aliis omnibus Nomen acceperit. At si *Dies* ejus intelligimus de tota Hominis vita, sive ejus media, aut extrema parte, nihil tunc proprii Phalegus in ea Divisione habet, quippe quum eo sensu *in diebus* ipsius Heberi, & tot aliorum, æque ac Phalegi, acciderit ista Divisio. At proprium fuit Phalego in illa vel Heberi vel Semi familia, nasci ferme in ipso illo Divisionis ac Dispersionis tempore, & ideo inde Nomen hoc justissima ratione sibi impositum a Patre habuit. Sed & semper usitatum id fuit, ut Nomina a factis Historicis formata imponantur pueris eodem tempore natis.

natis. Sic 1 Sam. IV. 21. 22. quum cæsi essent a Palæstinis Israëlitæ, & capta Dei Arca, ac inter alios periissent Filii Eli, atque ipse Eli dein, summus Sacerdos, nuncio attonitus quoque concidisset, Nurus ejus mox peperit, & nato Filio nomen dedit אי כבוד h. e. *ubi gloria*, scilicet, vel *Dei*, vel *Israëlis*, *nunc est?* idque propterea, ut diserte additur, *quia capta Arca*, & quia perierat Eli, ac ejus Feminæ Maritus. Similiter 1. *Chronic.* VII. 23. quum Ephraimi Filii occisi essent a Gathæis, proximo dein Filio sibi nato imposuisse Pater dicitur nomen *Beria*, h. e. *in malo*, addita hac ratione, *quia in malo fuit domus ejus*. Apud Græcos quoque *Euripides* ita appellatus traditur, quod eo ipso die, quo natus est, Græci Xerxem ad Euripum vicerint, si fides Hesychio Illustrio in *Euripide*, cum quo conferendus est Suidas. At Romanis tempore primorum Cæsarum nihil frequentius. Octavianus Augustus infans *Thurini* cognomen accepit, *quod in regione Thurina*, *Recens eo Nato*, *Pater Octavius adversus fugitivos rem prospere gesserat*, teste Suetonio in *Aug*. *Cap*. 7. Sic, quod tradit Servius ad Virgil. *Ecl.* IV. *v.* 1. *Asinius Pollio post captas Salonas*, *Dalmatiæ civitatem*, *eodem anno suscepit Filium*,

 quem

quem a capta civitate Saloninum vocavit. Denique de Imp. Claudio, quum de Britannia triumphasset, testatur Eutropius *eum Filio suo Britannici nomen tunc imposuisse*, qui & illo *Britannici* nomine, quasi prorsus sibi & unice dein proprio semper idcirco in Historiis insignitus occurrit. Sic illi infantibus: at Persæ posteriores itidem Filiis, sed tamen etiam adultis, a populis devictis Cognomen tribuebant, & constanti quidem consuetudine, quod docet nos Agathias *lib.* IV. *p. m.* 130. Habemus & in nostra Rep. Hominum exempla, qui etiam puellis, recens natis, a victoria tunc forte parta nomen, & *Victoriæ* quidem, indiderunt.

Idem itaque Phalego evenit, quia natus fuit circa tempus Dispersionis. Nam affirmare prorsus nolim, natum ipso illius temporis minimo momento. Sufficit enim, non alium tunc fuisse Hebero filium, cui Ille rectius hoc nomen imponeret. Debuit tamen vel unicus tunc fuisse filiolus Heberi, vel certe natu minimus, nec diu ante natus. Ceterum natus est anno primo & centesimo post diluvium, si Hebraicam sequimur Scripturam, quod faciendum censeo. Nam quum necessario fraus in tot Patriarcharum annis vel ab Judæis in Hebraico Textu ad minuen-

nuendam suæ Historiæ antiquitatem, vel a Græcis Interpretibus ad eam augendam, consulto prorsus consilio debuerit fuisse facta, exputare nequeo, nec reperio, quæ tanta res Judæos movisset, ut eam minuere adeo vellent, in primis quum finitimi illis populi, Chaldæi, Ægyptii, &c. ex antiquitate longa vel præcipuam suis originibus majestatem addere studuerint, & ipse Josephus pro Antiquitate rerum Judaicarum cum Apione quoque depugnaverit. Longe itaque verisimilius, Græcos Interpretes, quicunque tandem illi fuerunt, in Ægypto fraude hac usos, ne infra Ægyptiorum antiquitatem longe adeo subsiderent origines Judaicæ. Fateor tamen vicissim, nimis exiguum videri spatium totius intervalli, quod inter Diluvium & Abrahami ætatem in Hebraica Chronologia intercedit, sed quod alterius & longioris est disquisitionis.

Facta autem est Dispersio ex terra Sinear in regiones, ut supra dixi, non remotas valde, sed propinquas. Nec enim ulla illis Hominibus causa fuisse potuit, cur præteritis vel transitis terris prorsus fecundis & idoneis abunde ad ipsos alendos, abirent statim in longe remotas, immo ultra mare, ut volunt Viri Docti, qui Dispersionem & Secessionem Hominum

ex *Capite* x. potissimum nobis deducunt. Audiamus Salianum ad *Ann. Mundi* 1931. ubi disputat Athenienses antiquissimos fuisse *Jones* & proxime ab *Javane* ortos, *quod in ea regione*, ut ait, *Javan Parentis* (Japheti) *missu consedisset, Ægeo mari cum fratribus trajecto.* Hoc exempli sit loco; nam similiter de reliquis Noachi nepotibus loquitur, quasi jam ipsi in regionibus ab se postea denominatis consederint. Neque aliter Bochartus *Phalegi* I. 16. *Termini Dispersionis*, ait, *a Septentrione fuerunt Thracia, ubi Thiras; & Caucasus, ubi Magog: a Meridie Libya, ubi Phut; Arabia, ubi Jectan cum Liberis FIXIT SEDES.* &c. Manifestum ex his, sensisse eum, ipsos illos Noachidas, *Capite* x. memoratos, suas *Fixisse Sedes* in illis, etiam remotissimis, Regionibus, quæ ab ipsis nomen postea acceperunt, & in quibus, ut Ego quidem sentio, Eorum Posteri demum consederunt. Hinc ille *Terminos Dispersionis* HUJUS (nam quin postea etiam ultra hosce Terminos abierint nullum est dubium, nec de eo nunc agitur) in ipsam usque Europam, & Africam, ac littora Italiæ, Galliæ, Hispaniæ extendit. At quid hisce absurdius affirmari potest? Sumamus solos nunc *Javanem* & *Thirasum*; inde Græcia seu *Jonia* Asiatica atque Euro-

ropæa, hinc *Thracia* nomen & originem ſuam traxit. Sed quis tandem animum ſedulo attendens perſuadere ſibi poterit, illos ipſos tranſiiſſe ſtatim in Europam? Quid moviſſe eos potuiſſet, ut id facerent? Neque enim tanta jam erat Hominum multitudo, ut propiorem ſibi ſedem, & commodam ſatis, capere ſaltem ad tempus non poſſent, quam dein eorum poſteri, aucto omnium numero, in ulteriora paulatim promoverent: ut fecerunt, donec in eas pervenirent tandem terras, quas dein tenuerunt in perpetuum, & ab ſuo Progenitore, unde & ipſi ſuum habebant nomen, denominarunt: ubicunque autem prius hærebant, iſtic conſidebat tunc Familia vel Gens *Javan* & *Thiras*. Nulla certe neceſſitas adigebat eos per tot terrarum tractus petendi ſtatim remotisſimas regiones, quum utique adhuc Omnes poſſent tunc & vellent conjuncti in Una Terra Sinear vivere, eoque animo iſtic Urbem ſibi re ipſa exſtruerent. Sed & aliquandiu poſtea tempore Abrahami & Jacobi propinqua Terræ Sinear loca, immo ipſa Syria, & Cananæa, paucos adhuc habuerunt incolas. Liquet id ex verbis Abrahami ad Lotum Geneſ. XIII. 9. &c. ſupra (Vide *pag.* 371.) jam allatis; ſed & ex Hiſtoria Jacobi proficiſcen-

 tis

tis in Mesopotamiam, & pernoctantis sub dio, haud dubie, quia nulla istic reperiebat tecta aut domicilia Hominum, Genes. XXVIII. 11. Adde quæ eandem in rem observavit Heideggerus *Hist. Patr. Tom.* 2. *Exerc.* XXIV. 9. De Græcis vero certum est, ipsos Gentis suæ primordia repetere ab Inacho; Hunc autem ab omnibus ante se referri ad tempora Mosis ipse testatur Eusebius in *prooemio ad Chronic. Librum II* [a]. Et sane vix crediderim diu ante istius ætatem Homines penetrasse in Græciam, licet aliter nunc sentiant fere omnes, Eusebium temere secuti. Scio satis Sicyonii Regni in Peloponneso primordia, & Regem primum, Ægialea, poni nunc vulgo ante Abrahamum, qua in re Chronologi & Annalium Scriptores itidem præeuntem sibi habent Eusebium. Sed certissimus is est error, quum Ægialeus fuerit Frater Phoronei, ut docet nos Apollodorus [b], Phoroneus autem Filius & Successor Inachi. Quid plura? Satis liquere ex his puto, primos Noachidas non exiisse ex Terra Sinear in regiones adeo longinquas, quod ipsum etiam Heideggerus sensit. Nam & ille in *Hist. Patri-*

a Sive in *prooëmio Libri*, qui inscribitur Χρονικὸς Κανὼν, *pag.* 87.

b *Lib.* II. in *princ.*

triarch. Tom. I. *Exercit* XXII. 13. *necessum fuisse* affirmat, *ut primum loca viciniora occuparent, procedenteque tempore, & crescente populi multitudine, ulterius progrederentur, atque in Remotioribus regionibus LONGO POST tempore sedes figere cogerentur.*

Ceterum sicut ergo reliqui in propinquis Terræ Sinear locis aliquandiu hæserunt, sic ipsum Nimrodum cum Sodalibus & Agnatis in ipsa illa Terra mansisse, verisimile est. Primo enim palam id tradit Josephus I. 7. ὑπομείνας παρὰ Βαβυλωνίοις ἐτυράννησε, *Manens* post dispersionem *apud Babylonios*, h. e. in Nova Urbe Babylone, *regnavit*. Dein AbenEzra ad Genes. XI. *Et rectum est in oculis meis, quod dispersi sunt* Homines *ex eo loco, & Postquam Dispersi sunt, regnavit Nimrod in Babel, & surrexerunt Reges alii, & post dies multos, quum mortua esset ætas prior, oblivioni data est Lingua prior.* Sed & ipse Moses Genes. X. 10. Nimrodum *Regem* fuisse dicit *Babelis*, aliorumque oppidorum, *in Terra Sinear.* Hic vero mirari satis non possum, Viros Doctissimos, Abrahamum & Heideggerum, censere, oppida hæc & Regnum illud condita a Nimrodo jam ante Dispersionem. Disertissime sic loquitur Heideggerus *Hist. Patr. Tom.* I. *Exerc.* XXIII. *Sect.* 2. §. 28. ubi, *satis ap-*

apparere, ait, *Nimrodum ante Gentium dispersionem instituisse Regnum, & ejus custodiendi ac proferendi gratia in campo Sinear ædificasse civitates* quatuor, quas, repetit dein, *ante Dispersionem ab illo ædificatas, pro certo tenendum videri.* Si jam quæras, quibus utatur rationibus, unam tantum eamque frivolam satis invenies. Scilicet, quum *Babel ædificari sit cœpta ante Dispersionem Gentium, sequitur, etiam Nimrodum civitates illas condidisse & principatum erexisse ante Dispersionem Gentium.* At quæ ratio, quæ vis, istius consequentiæ? Sed & Babel tunc, ut ipse ait, *COEPTA* tantum *ædificari.* Ea ergo nondum perfecta, neutiquam videtur Nimrodus ad alia confestim oppida condenda tunc progressus. Nec perfecta fuit, nisi post Dispersionem, per quam, & per Confusionem Labii, impedita & interrupta utique fuit illa Urbis & Turris ædificatio. Deinde Homines ante Dispersionem diserte UNAM tantum Urbem & sedem stabilem sibi voluerunt condere, neque alia de causa, quam quia videbant terram esse valde opportunam suæ omnium habitationi. Et idcirco neque Urbs illa proprium habuit Nomen, nisi post Dispersionem, quando jam aliæ quoque Urbes exstrui & exsistere cœperunt, quum ante id tempus proprio Nomi-

mi-

mine non indigeret, quia Una & ſola adhuc erat in Orbe terrarum. Tantum ergo abeſt, ut jam ante Diſperſionem, & antequam Hæc Urbs fuit abſoluta, aliæ quoque Urbes fuerint conditæ. Neque vero Nimrodus ipſe ante hanc Diſperſionem *Rex*, nec totius Generis Humani, nec Partis alicujus, fuit, ſed Rebellis, & Caput tantum factionis contra Noachum comparatæ, at poſt diſperſionem demum cum præcipuis ſuæ factionis & agnatis ſuis manſit Babele, & conditis aliis etiam oppidis *Rex* ſuæ familiæ & illarum Urbium evaſit. At Heideggerus e contrario, Nimrodum in iſta Diſperſione, *æque ac ceteros, Babylone pulſum*, cenſet abiiſſe in Aſſyriam, atque ibi condidiſſe Nineven &c. At vero ſatis liquido hoc in ſuperioribus cap. IV. jam refutavimus: ſed & *Aſſyriam* ab *Aſſure* Semi Filio denominatam, atque adeo etiam occupatam, in illa gentium diſperſione, ex rei natura, ſeu origine omnium tunc Gentium (vide me ſupra *p.* 54.) ſatis conſtat: quin ipſe id fatetur *Sect. ſeq.* §. 42. *Aſſur*, inquit, *originem dedit Aſſyriis*, nulla iſtic mentione Nimrodi jam facta, tanquam inde itidem, & bello quidem, pulſi, ut debuiſſet, ſi prior occupaſſet Aſſyriam. Neque vero probabile eſt ulla ex parte, in illa prima Diſperſio-

ne

ne bella ſtatim geſta inter paucas adhucdum familias de poſſeſſione terrarum, quæ omnes tunc vacuæ erant, & occupantibus, etiam poſtremis, ſatis laxe & late patentes. Non debebant ergo talia illo jam tempore fingi aut ſtatui bella, in primis, quando nulla eorum in S. literis occurrunt nobis veſtigia, ſicuti nulla prorſus in hac Hiſtoria Aſſyriæ ab Aſſure ortæ occurrunt. Præivit autem Heideggero Nic. Abramus, & in Regno quidem Nimrodi jam ante Diſperſionem in Terra Sinear condito, *Phari lib.* v. §. 9. *& ſeqq.* auctoritate Theophili Antiocheni *ad Autolycum* [a] maxime ſubnixus, qui diſerte ait Urbes illas conditas, πρὸ τȣ̃ τὰς διαλέκτȣς μερισθῆναι, *antequam varietas Linguarum eſt exorta.* Sed bono huic Patri in Hiſtoria antiqua non multum eſt tribuendum, quippe qui turpi ſocordia errat etiam in iis, quæ ex ipſa Geneſi certa ſatis ſunt & manifeſta. Nam mox, ut alia quamplurima omittam, *in Terra Sinear inter Chaldæos primum Regem* ait *fuiſſe Arioch*, *poſt illum Ellaſar*, *poſt hunc Chodollagomor Regem Elami*, denique *poſt hunc Thargal Regem Gentium*, *quæ vocentur Aſſyriæ.* Hos porro omnes mox vocat *Aſſyriorum Reges.* Qualia, quæſo, iſta ſunt? nonne prorſus con-

[a] *Lib.* II. *Cap.* XLV. *Ed. Wolf.*

confuſa & miris modis a vero abhorrentia? quum *Ellaſar* utique non Homo aut Rex fuerit, ſed ipſum Regnum, quod tenebat *Arioch*, neque Hi Reges ſibi ſucceſſerint, ſed eodem tempore diverſorum Regnorum ſeu Oppidorum Reges fuerint, Socii inter ſe & Amici. Vide Geneſin *Cap.* 14. Prætermitto reliqua. Sed & de altera illa ſententia, qua Nimrodum Regno ſuo & Babylone depulſum poſt diſperſionem auguratur idem Abramus in alias regiones conceſſiſſe, egimus jam ſupra *Cap.* IV. *p.* 65. Supereſt itaque, ut rejectis vaniſſimis conjecturis, unice inhæreamus Hiſtoriæ Sacræ, quæ tradit, Homines omnes adhucdum conjunctos, quum veniſſent in Terram Sinear, conſilium cepiſſe communis iſtic Urbis ſibi exſtruendæ ſimul cum Turri, quæ eos longius aberrantes ad unam iſtam Urbem quaſi reduceret: ſed Deo interveniente, qui volebat eos ex Una Sede & Loco in Varias Sedes & Terras ſecedere, interruptum fuiſſe hoc opus, adeo ut diſerte dicantur *deſiiſſe* tunc Homines *exſtruere illam Urbem*, quæ deinde *Babel* fuerit dicta, ſed propter rem tunc jam præteritam, ſcilicet, *quod Deus ibi Confudiſſet Labium totius Terræ. & ex eo* Communi Loco *Homines diſperſiſſet in ſuperficiem totius Terræ.* Una ergo illa Communis omnium

um & Prima Urbs cœpta quidem ante Diſperſionem, ſed per eam deſita & interrupta illius exſtructio; tantum abeſt, ut aliæ quoque Urbes jam tunc fuerint conditæ. Conſequitur itaque ex his omnibus, ut neceſſario poſt Diſperſionem demum Nimrodus in Terra Sinear *regnaverit*, atque adeo ibi in Diſperſione illa manſerit, quum & prima illa Urbs, *Principium Regni ejus*, tunc demum abſoluta, & reliquæ in Terra Sinear Urbes, quarum ille itidem *Rex* fuiſſe dicitur, cœptæ demum poſt eam diſperſionem fuerint. Confirmantur ita vel maxime ex Scriptura Sacra Joſephus & Aben-Ezra, immo & Syncellus pag. 42. qui pariter Nimrodum manſiſſe in Terra Sinear, & Babelis Regnum ibi condidiſſe, ac reliquiſſe ſuis ſucceſſoribus, tradunt. Sed & hinc idem Syncellus *Chronographiæ pag.* 90. & 92. memorat nobis ex Africano, ut & ex Alex. Polyhiſtore (vide Syncell. p. 78.) primos poſt Diluvium Chaldæorum, h. e. Babyloniorum, Reges ſeptem numero, quorum princeps *Euechous*, ſed qui, ait, παρ' ἡμῖν Νευρὼδ vel Νεμβρὼδ, *apud Nos* (Chriſtianos) *Nimrod* dicitur. Quibus Septem dein ſucceſſerint in Chaldaico hoc Regno ſex Arabum Reges, quorum ultimus victus & principatu dejectus fuerit

rit a Nino Aſſyrio. Rejicit quidem omnes hosce Reges inter Nimrodum & Ninum interjectos Salianus ad *Ann. Mundi* 1931. *pag.* 207. b. ſed nulla alia ratione, quam quia hæc non conveniunt in ipſius ſententiam, Ninum ſtatuentis Nimrodi Filium. At vero hoc non eſt veritati, ſed Hypotheſi, quæ tamen eſt falſiſſima, ſervire. Nam præterquam quod Euſebius & Syncellus tot Reges nominatim, & ordine, atque ipſis cum annis Regni ſingulos commemorent, ipſe etiam Diodorus Siculus *lib.* II. *init.* Nini tempore non tantum Mediæ, Armeniæ, Arabiæ, ſed & Babyloniæ proprios Reges exſtitiſſe nos docet, quorum ultimum ille vicerit, & occiderit cum liberis. Neutiquam ergo Ninus Rex Aſſyriæ Babylonicum Regnum a Patre, & Nimrodo quidem Babylonio, ut volunt, accepit Hereditarium, ſed armis ſubegit, & ultimum ejus Regem Hoſtem habuit, ac bello domuit. Sed neque juſtam ſatis video rationem, quare Iſ. Voſſius *de Ætate Mundi cap.* 9. ita confidenter pronunciet, *perperam Euechoum credi eſſe Nimrodum*, niſi quod ex falſa Chronologia LXX. Interpretum, & ex vulgari de ætate Nini ſententia, quæ itidem eſt falſa, denique & ex illorum Regum annis ab Euſebio & Syncello expreſſis, hunc Euechoum refert ad

 ſæcu-

ſæculum integrum poſt Diſperſionem, at-
que adeo infra Nimrodi ætatem. Sed ne-
que ultima hæc ratio ſatis eſt idonea ad il-
lud ita abjiciendum, quod Euſebius & Syn-
cellus, qui facilius in numeris annorum er-
rare potuiſſent, diſerte affirmant, Eue-
choum fuiſſe Nimrodum. Neque vero di-
verſitas Nominum diverſos ſemper facit
Homines, quum utique Scriptores Chal-
dæi ſeu Babylonii eosdem Homines aliis
nominibus appellaſſe reperiantur, aliis Scrip-
tura S. Ita Adamus illis eſt *Alorus*, Noa-
chus *Xiſuthrus*; quidni ergo & Nimrodus
Euechous? Sed tamen neque ego aſſeverare
prorſus velim, Euechoum fuiſſe revera ip-
ſum Nimrodum. Nam, præterquam,
quod Euſebius & Syncellus ſæpe in hisce
errent, ut qui etiam ex *Nabonaſſaro* Baby-
lonio faciunt *Salmanaſſarem* Aſſyriæ Re-
gem; ætas vera Nini requirit grandius ſpa-
tium ab Nimrodo usque, quam illis Regi-
bus ab Euechoo usque ad Ninum tribuitur.
Accedit, quod neque Amraphel in iis Re-
gibus memoretur, ſed qui tamen alio no-
mine in hoc Catalogo poſſit fuiſſe deſigna-
tus. Verum tamen, quia ſecundum Chal-
dæos ab Euechoo demum incipere veri Ba-
byloniorum Reges videntur, quum ſupe-
riores ab iis exhibeantur valde longævi &
ſatis fabuloſi, tanquam Dii quidam, aut
Semi-

Semidei, non ita temere abjiciendam putem illam Euechoi comparationem cum Nimrodo. Facilius enim errari potuit ſive ab Africano, ſive ab Euſebio & Syncello, in numeris annorum, ut diximus, aut in quorundam Regum omiſſione vel ignoratione, quam in Primo omnium Regum recte deſignando. Ut adeo incertum mihi ſit, utrum recte, an perperam, Euechous a Patribus dicatur fuiſſe Nimrodus, nec rejicere Ego illud penitus, nec etiam aſſeverare auſim.

Ceterum Arabibus illis debellatis Babylonem ſibi ſubjecerunt Aſſyrii. Aſt horum illa jugum rurſus excuſſit, incertum quando. Certum illud ex Epocha Nabonaſſarea, habuiſſe eam Urbem, circa initia Olympiadum Chronologicarum, & Romæ conditæ, proprios iterum Reges, quod ipſum etiam liquet ex Merodacho Baladanis F. qui eodem fere tempore, ſeu tempore Ezechiæ, Judæi Regis, Legatos ad eum miſit, ut in ejus valetudinem, quem ægrotaviſſe audiverat, inquireret, II. Regum XX. 12. & Eſa. XXXIX. 1. Verum hi tamen Reges non adeo diu adverſus invalescentem tunc maxime Aſſyriorum potentiam tueri ſe potuerunt. Nam jam tempore Manaſſis, qui Ezechiæ fuit Filius, Eſarhaddon Rex Aſſyriorum Babylona ite-

rum occupavit. At mox Medis, qui tandem Assyrios debellarunt, & Nineven destruxerunt, junxere se Babylonii instinctu & ductu Nabopolassari, & sic non modo jugum Assyriorum denuo abjecerunt, sed & Imperium illorum cum Medis quasi diviserunt, & relicto His omni tractu Asiæ versus Orientem, ipsi omnia, quæ Assyrii tenuerant in Occidentali parte Asiæ, sibi vindicarunt. Ita vero ad Medos tunc & Babylonios validissima illa Assyriorum Monarchia transiit. Sed, ut Mundus non potest ferre duos Soles, ita neque duo illa imperia diu ferre potuit una Asia, quin inter se colliderentur. Tum vero Babylon expugnata a Medis & Persis, in horum dein potestate mansit, usque dum una cum iis in ditionem Alexandri M. concessit. Post quem a Seleuco, condita Seleucia, & spoliis Babylonis ornata, ac a Successoribus ejus, Syriæ Regibus, prorsus est neglecta, & exhausta, & sic deinceps in solitudinem ac vastitatem paulatim redacta, in qua ad hæc usque tempora mansit, ostentans tantum antiqui splendoris reliquias, rudera, & muros. Vide Bochartum *Phalegi* IV. 15. Nam quæ nunc vulgo *Babylon* dicitur, *Bagdad* est, ab Almansore Arabum seu Saracenorum Principe condita anno Christianorum 762. Vide Abul-

Abulfarajum *pag*. 141. & 143. ac Elmacinum *pag*. 102.

Ita vero Babylonicas abſolvimus Origines. Quod ſi nunc in hac Hiſtoria, ita, ut a me factum, expoſita, indulgere aliquantulum velimus allegoricis ſeu parabolicis ſenſibus, reperiemus in ea manifeſtam Eccleſiæ Novi Teſtamenti figuram. Etenim ſicuti Omnis Terra erat una tunc Noachi familia, unius labii & ſermonis, & haud dubie in Noachi pariter reverentiam adhuc compoſita: ſic Chriſtiana Eccleſia primum erat prorſus Apoſtolica, pura, & ſincera, atque unius doctrinæ, ad Chriſti & Apoſtolorum præſcriptum formata. Illa vero Noachi Familia ex Oriente dein transiit in terram Sinear, atque iſtic conſedit, quum deprehendiſſet prorſus fertilem, & hominibus ac pecoribus tuendis alendisque idoneam: ſic Chriſtiana Eccleſia ex Oriente, & ex Judæa, abiit in Occidentem potiſſimum, & in Europam, conſeditque in imperio Romano, quod propagando Euangelio vel maxime deprehendit opportunum, quia per cauſam unius Imperii, ad gentes quamplurimas illi ſubjectas facillimus tunc dabatur aditus, & Euangelii paſſim prædicandi facultas. Ceterum exortus eit in terra Sinear paulatim rebellis ille Nimrodus, qui

 omnes

omnes fere Noachidas sibi adjunxit, & cum iis ab Noacho defecit, quin Urbem sibi & Regnum condidit, ac Turri excitanda signum omnibus erigere voluit, quo ad societatem Urbis & Regni ejus identidem retraherentur, ne facile alias in terras inde aberrarent: sic in Christiana Ecclesia & Imperio Romano paulatim exstitit Anti-Christus, qui ferme totum sibi Christianum Orbem subjecit, & ab vero Dei cultu abalienavit, sedem porro Romæ in metropoli istius imperii fixit, atque ibi Regnum Ecclesiasticum sibi condidit, ac quasi signum Decretorum suorum, & Conciliorum, sustulit, ne ab veneratione sui Regni & Urbis deflecterent ad alias quascunque cerimonias; adeo ut jam tempore Impp. Henrici IV. & V. Papa Paschalis II. ausus fuerit postulare jusjurandum hujus formulæ, *Anathematizo omnem hæresin, & præcipue illam, quæ statum præsentis Ecclesiæ conturbat, & docet Anathema* (scil. Romanæ Sedis) *contemnendum, ac Ecclesiæ ligamenta spernenda esse. Promitto autem obedientiam Apostolicæ Sedis Pontifici, ejusque Successoribus sub testimonio Christi & Ecclesiæ, affirmans, quod affirmat, & damnans, quod damnat Sancta & Universalis Ecclesia.* Vide *Append.* ad Marianum Scotum *Ann.* 1099. & adde Aventinum *Annal. Bojorum*

lib.

lib. VI. p. m. 485. Verum ut Deus Nimrodi & Hominum primorum consilia, contra Noachi præceptum capta, disturbavit, & immittendo Labii confusionem ad secedendum eos adegit, ast ita, ut Nimrodus Babele tamen manserit, ac regnum retinuerit, licet quamplurimi ab eo & Regno hoc Babelis secesserint in varias Terras & Gentes, Harum autem pleræque fuerint quidem ab recto Dei cultu alienæ, verum una ex illis Familia & Gens dein exstiterit, quam sibi Deus elegit veluti propriam: sic etiam humana Romanæ Ecclesiæ consilia inhibuit tandem Deus, & similem fere Labii Confusionem in eam immisit ac Secessionem, sed ita quoque, ut Papa tamen suum Regnum Romæ quidem retinuerit, ast quamplurimi per Germaniam, Galliam, Britanniam, Daniam, Sueciam, Poloniam, Hungariam, Belgicam, Helvetiam, ab eo & ejus Regno ac Ecclesia secesserint in varias Sectas Enthusiastarum, Anabaptistarum, Socinianorum, & maxime Lutheranorum, ac Zuinglianorum, ex quibus quin Deus unam sibi elegerit, & habeat peculiarem ac fœderatam Ecclesiam, nullum nobis est dubium.

F I N I S.

INDEX

Rerum & Verborum.

A.

Abelis nomen non videtur infanti a parentibus impositum. pag. 185.

Abenezra laudatur. 293.

Abrahami majores coluerunt Deos alienos. 173. habitarunt in Mesopotamia, in oppido Vr. 139. 140.

Acervus ab Ἀγείρω derivatur. 271.

Aegialeus Rex Sicyonius neutiquam fuit antiquior Abrahamo. 394.

Aegyptii certarunt cum aliis Gentibus, & Babyloniis maxime, de antiquitate sua. 71. 72.

Ἄγγαροι ab אגרת *Epistola.* 271.

Ἄγγελοι ab eadem origine. 272.

Ἀγείρω ex Hebr. Lingua derivatur. 270.

Ἀγέλη ab ἀγείρω. 272.

Ἀγορὰ ab ἀγείρω. 271.

Allegoriæ in usu apud antiquissimos Homines. 204. 205.

Allegoricæ interpretationes. 198. &c. 204. 208. 300.

Allegorica Historiæ primorum Hominum in Terra Sinear interpretatio. 405. 406. 407.

Ἄναξ, Ἄνακες, notat Gigantas, Deos, Reges, Dominos, derivatur ex Hebræa Lingua 275. 276.

Antiquissimi temporis res obscuræ. 1.

——— recte tamen fit, si indagentur. 3.

Anuch-

Anuchtha, Urbs ubi olim Sedes Caini fuerat. 48.
'Ανώνυμος *obſcurus*, *ignotus*. 287.
Aracca urbs diverſa ab *Erech*. 78.
Arces conditæ in initiis ipſis Urbium. 151.
Arrianus in *Periplo* exponitur. 289. 290.
—— in *Diſſertat. Epicteti*. 285.
"Ασημος, *obſcurus*, *ignobilis*. 287.
Aſſaradinus. Vid. *Eſarhaddon*.
Aſſur Semi F. condidit Niniven, non Nimrodus. 52. ſeqq. 397.
Aſſyriorum nomine deſignantur etiam Babylonii. 10 62.

B.

Babylon Beli F. 149.
Babylon Urbs antiquiſſima 5.6. 44. 50. Ejus Origo. 155. 157. &c. 399. quo conſilio referatur a Moſe. 160.
—— immenſam antiquitatem jactat. 8. an ab Semiramide condita. 69. 70. 148. &c. an a Belo. 70. 149. &c.
—— capta ab Aſſyriorum Rege, Eſarhaddone. 87. 88.
—— minus potens poſt tempora Nabopollaſſari. 87. ſeqq.
—— ejus fata & viciſſitudines. 400. 401.
Babylon & Nineve ſæpe junguntur. 59.
—— Ejus Regnum in S. Scriptura antiquiſſimum. 50.
Babylonia an inundationibus obnoxia. 49.
—— ex ea navigabatur in Perſicum mare. 95.
—— fertilis valde fuit & paſcua. 310.
—— plana & campeſtris. 316. 317.

Babylonii obſervationes cœleſtes habuerunt ab annis 1903. ante Alexandrum M. 6. quare ab Nabonaſſaro certiores demum incipiant. 20. &c. 30. &c.
—— *Aſſyrii* vocantur. 10. 61. 62.
Babylonicæ veſtes. 49.
Babylonici Reges antiquiſſimi ante Ninum. 401.
Babylonica Turris. Vid. Turris.
Babylonicæ *Myriades* annorum explicantur. 22. ſeqq.
Babylonii & Aegyptii de antiquitate ſuæ Gentis inter ſe certabant. 71. &c.
Bagdad a quo condita. 404.
Belus erat nomen Supremi Dei in Oriente apud diverſas Gentes. 73. &c.
Beli fuerunt plures. 73. 152.
Belus Babylonius condidit Babylonem. 153. eſt Nimrodus. 153. 154.
Belus Aegyptius. 70. ſeqq.
Beroſus Chaldæus, floruit tempore Alexandri M. 14. ſeqq.
—— non videtur fuiſſe Auctor Epochæ Nabonaſſareæ. 20.
—— explicatur in diverſis, quas memorat, Annorum Myriadibus. 22. ſeqq.
—— non videtur ſcripſiſſe de Nabonaſſaro, quæ Syncellus, vel Alexander Polyhiſtor, ei tribuit. 31. 32.

C.

Cacus antea alio nomine dictus. 185.
Cadmus cur in ſerpentem converſus dicatur. 47.
Caini urbs. 45. 48.

Callisthenes observationes astrorum Babylonicas in Græciam misit. 6.
—— ejus fides in hac re defenditur. 9. 37.
Canticis debetur prima Historiæ origo. 2.
Chaldæi, qui & *Chasdim*, a Chesed Nachoris F. orti & dicti. 66. 139. 141.
—— habitarunt primum in Mesopotamia, in Ur Chasdim. 139. 140. 144.
—— translati inde, & collocati in Babylonia ab Assyriæ Rege, & forsan a Nino. 141. 142.
—— jam memorati in libro Jobi. 143.
Chamitæ an gesserint bellum cum Semitis. 168. 169.
χεῖλος, pro *Lingua*. 214. 220.
Chloris, Niobes Filia, antea *Meliboea* dicta. 185.
Chronologia Judæorum a Deportatione Babylonica usque ad Reditum, confirmatur ex Babyloniorum & Tyriorum annis. 118. *seqq*.

D.

Dies *Phalegi* quo sensu dicantur. 382. &c. 387. &c.
Diodorus Siculus explicatur. 77.
Dispersio Hominum ex Terra Sinear non fuit malum aut pœna. 187. 188. 329.
Dispersionem cur cavere voluerint Homines. 247. 297. &c. 352. &c.
Dispergi Homines, seu ab se invicem secedere, quare Deus voluerit. 331. 332.
Dispersio vel secessio Hominum non fuit duplex. 356. &c. 369. 373. &c. 381.
Dispersio ex terra Sinear facta est tempore Pha-

Phalegi. 381. *seqq.*
Dispersio non facta fuit in remotas valde regiones a Terra Sinear. 371. 384. 392. &c.
—— Ejus Historia non est Parabola, aut Allegorice interpretanda. 199. &c. 229. &c. 246.
—— quo consilio & nexu referatur a Mose. 160. 200. 201. 385.
Divisio Terræ Noachica nullo nititur idoneo fundamento, & ex errore est orta. 358. 361. 373.
—— non fuit secundum Patres eventu firmata ante Dispersionem ex Sinear. 363. 374.
Doson nomen Antigoni unde ortum. 184.
Dracones in Fabulis Græcis sunt Homines in speluncis habitantes. 47.

E.

Electra Agamemnonis Filia ante *Laodice* dicta. 184.
Ἐπίσημα pro Nominibus. 289.
Ἐπίσημόν τινος dicitur, quod ab aliquo denominatur. 290.
Erech in Terra Sinear, Græcis Ὀρχόη dicta, diversa est ab *Aracca*. 78.
Esarhaddon Rex Assyriæ est idem, qui *Assaradinus* in Canone Ptolem. 83. 87.
—— cepit Babylona, & sub potestatem Assyriorum redegit. 87, &c.
non Esse qui dicantur. v. *Non*.
Euechous an idem, qui *Nimrodus*. 400. &c.
Eusebii Chronicon Gr. tentatur. 15. 22.

F.

Feræ olim, quum pauci adhuc essent Homines, maxime eos infestabant. 306. etiam in Cananæa. 306. 307.
—— Earum cædes & venatio valde gloriosa. 303. 304.
Filii Hominum notat omnes Homines. 170.

G.

Γαῖα & Γῆ ex Hebræa Lingua derivatur. 273.
—— an *maxime* significet tractum campestrem & montibus oppositum. *Ibid.*
Γενόμενος etiam de Vita, non unice de Natalibus, dicitur. 14. 15. 16.
Gigantes cur ex Terra nati dicantur. 47. Fabula de *Gigantum* bello adversus Deos unde orta. 203. 327.
Gloriæ & Nominis studium alienum a Noachidis in exstruenda Turri. 234. &c.
Græca multa ex Hebraico sermone derivata. 270. 271. &c. 282. 283.
Græciæ origo neutiquam referenda ad tempora Dispersionis, aut proxima. 394
Græci pleraque Asiæ majoris ante Cyri tempora ignorarunt, & ideo destructionem Tyri Veteris a Nebucadnezare factam non memorant. 124.

H.

Hebraica Chronologia præferenda Græcæ LXX. Interpretum. 390.
Hebræa Veteris Test. Lingua an fuerit Noachi

chi lingua. 175.
in Hebræa Lingua multa occurrunt ἅπαξ λεγόμενα. 269. &c. & ideo ex aliis Linguis recte illustratur. 270. &c.
Hebræarum vocum etyma non sunt derivanda a Græcis. 277. 278.
Hebrææ voces exponuntur
אגר *collegit*, אגרת *epistola*. 270. 271.
בקעה pro *campo* 320. 321.
גור מגורה מגור. μέγαρον 281.
זמן 280.
יד pro *statua*, *monumento*. 265. 266.
לפני יהוה *Coram Domino*. 301.
סמן 277. 278.
עיר. 45. 46.
פוץ. 228.
פלג etiam de fortuita & de coacta *dispersione* dicitur. 372.
ציים 95.
שם *Nomen* & *Signum*. 264. &c.
שם *ibi* 264. 268.
השם quare Deus ita dicatur. 267.
שפה 212. &c. 216.
שמע שפה 222. 223.
ס & ש. permutari inter se crebro solent. 278. 279.
Schin & Sin etiam promiscue videntur adhibita. 268.
Hevæi a Serpentibus dicti, habitabant olim maxime in speluncis. 47.
Historici temporis initium in Oriente, Græcia, & Romæ. 3.
in Historiis sæpe circumstantia quædam suo loco & tempore prætermittitur, quæ dein demum

demum alio loco refertur. 334. &c.
Homerus allegorice expositus. 204. 205.
Homo ab natura ad convictum & societatem aliorum fertur, atque horret solitudinem. 297.
Homines omnes, qui exstabant tunc in Terra, habitarunt conjuncti adhuc in terra Sinear. 161. &c. 380.
Homines primi vitam egerunt Nomadicam. 310.
Hyperbolicæ locutiones in prophetiis usitatæ. 125. 126.

I.

Inachus vixisse videtur tempore Mosis. 394.
Initia omnium rerum fuerunt tenuia & rudia. 235.
Jolaus. Vid. *Protesilaus*.
Jobi Libri Scriptor Hebraicus sæpe loquitur ex & pro ratione temporis, quo ipse vixit. 143.
Josephus tentatur & explicatur. 15. 101. 106--121. 129.
Ithobalus Rex Tyriorum periit cum Tyro vetere. 106
Judices regionibus devictis a Nebucadnezare impositi. 102. 123.

L.

L & *R*. inter se in derivationibus permutari solent. 272.
Labii vox quo sensu accipiatur a Mose. 211. &c.
Labii confusio non fuit pœna, sed instrumentum,

tum, quo Deus coegit Homines ab se invicem secedere. 330. 341. Variis modis potuit esse facta. 347. non fuit perpetua, sed cessavit post dispersionem. *Ibid.*

Laodice. Vid. *Electra.*

Lingua Hominum post dispersionem paulatim, & diversis modis in diversis gentibus, fuit mutata. 177. 342. 343. &c.

Linguæ mutatio an pro pœna possit haberi, & an aliæ Gentes respectu Linguæ deteriore fuerint loco, quam Hebræa. 178. &c.

Livius emendatus. 95.

Luciani locus. 134.

M.

M*anetho*, rerum Aegyptiacarum Scriptor, vixit & scripsit paulo post Berosum. 16.

Μέγαρον unde derivetur. 281.

Meliboea. Vid. *Chloris.*

Μεταξὺ pro *μετὰ, post.* 114.

Myrtale. Vid. *Olympias.*

N.

N*abalis* nomen non videtur infanti a parentibus impositum. 185.

Nabonassareæ Epochæ initium & origo, &c. 20. 33. 34.

Nabonassarus videtur publico in loco constituisse Album, vel instituisse Annales, in quibus observationes cœlestes annotarentur. 21. &c. 33. 34. Ab eo, & deinceps, diligentius, quam antea, videntur annotatæ observationes cœlestes. 29. 34.

—— non videtur delevisse priorum Regum memo-

memoriam. 32. 33. &c.
—— non fuit Primus aut Novus Patriæ per se liberatæ Rex, neque excussit a Babyloniis jugum Medorum aut Assyriorum. 34. 35. 36.
Nebucadnezar regnavit annos 43. etiam ex Judæorum Chronologia. 118--121.
—— Successorum ejus anni. 119.
Nimrodus an idem, qui *Euechous*. 400. &c.
—— fuit idem, qui Belus Babylonius. 153. 154.
—— præcipuus fuit in exstruenda Turri. 182. 186. 379.
—— a rebellione est dictus. 183. 333. 378.
—— venator fuit, & ea re sibi comparavit potentiam, & factionem, & Regnum. 299. &c. 309.
—— Regnum tamen non habuit, nec Urbes condidit, ante Dispersionem. 396. &c.
—— mansit post Dispersionem in Terra Sinear, & ibi Regnum condidit sibi. 395. 399.
—— non abiit in terram Assur. 51. &c.
—— non exiisse, nec expulsus, videtur ex terra Sinear. 65. 66.
Nineve & Babylon sæpe junguntur, ut Urbes sibi invicem pares. 59.
ab ea *Ninyas* Nini F. videtur nomen habere. 149.
Ninus non fuit Nimrodi F. 150. 387. & 401.
—— ante Ninum Reges fuere Babylonis. 400.
Noachidæ omnes habitarunt conjuncti in Terra Sinear. 162. &c.
pariter videntur exstruxisse Turrim. 172. &c.

eorum consilium in exstruenda Turri. 225. &c. 325. &c.
erant Nomades seu Pastores. 310. &c.
Noachus monuit Homines, ut in Varias terras secederent. 332. 333.
Terram tamen non divisit certas in partes. 334.
Nomadum vita fuit antiquissima. 309. 310. & vaga. 312. 313.
Nomen pro qualicunque designatione Hominis. 263.
Nominis etymon. 261.
sine Nomine dicuntur, qui obscuri sunt & ignoti. 286.
Nomina ex vocabulo quodam sæpius usurpato Hominibus indita. 183.
Nomina ex facto adultis imposita sæpe prævaluerunt præ genuinis & primis. 185.
Nomina ex factis publicis formata & imposita infantibus. 388. 389.
Nominatim pro diserte quibuslibet de rebus dicitur. 264.
Non Esse Populus, *Vir*, *Consul* &c. dicitur, qui id est quidem, sed non ita, ut ab aliis pro justo & vero habeatur. 92. 93. 94.
Nota pro nomine proprio. 263.
Numeratio Populi a Davide facta, per se non fuit mala. 337. 338.

O.

Olympias antea *Myrtale* dicta. 185.
Olympiades Chronologicæ quare initium ducant a XXVIII. Olympiade. 28.
Ὀνομαστὸς, *celebris*. 288.
Orchoë Urbs Babyloniæ, quam *Erech* S. Scriptura

ptura dicit. 78.
Ordo narrationis inverſus per ὕϛερον πρότερον. 55. 354. 355. 368. &c.

P.

Pagi olim fuerunt frequentes, & dicebantur tunc *Urbes.* 45.
Parentheſes rerum aliarum ſæpe narrationi Hiſtoriarum per occaſionem interponuntur in S. Scriptura. 55. 56. 57. 98.
Paſtores erant primi Homines, & habitabant in tentoriis, nec certam habebant ſedem. 310. &c. Etiam homines opulenti, & ipſi Reges. 312. vagabantur longum latumque, etiam illi, qui jam certam ſedem habebant. 312. &c.
Phalegi diebus facta diſperſio. 382. &c. h. e. quando natus eſt. 388. &c.
Phalegus natus fuit tempore Diſperſionis, & inde nomen habet. 388.
Philaſtrius Brixienſis notatur. 369.
Philo Judæus περὶ Συγχύσεως. 196. 197.
Phoroneus antiquiſſimus Græciæ Rex. 11.
Plinius Nat. Hiſt. emendatur & explicatur. 9. &c. 39. 40.
Podarces. v. *Priamus.*
Priamus antea *Podarces* dictus. 185.
Proclus Lycius. 205.
Prolepſis Scriptoribus Sacris & aliis uſitata. 141.
Prophetiæ hyperbolicis gaudent locutionibus. 125. 126.
Proteſilaus antea *Jolaus* dictus. 184.

R.

R. & *L.* in derivationibus permutari inter se solent. 272.

S.

Sallustius explicatus. 93.
Sapientiæ Salomonis Auctor notatus. 330.
Satrapæ vel Judices Regionibus domitis impositi. 102.
in *Scriptura S.* sæpe circumstantia quædam suo loco & tempore prætermittitur, quæ dein demum alio loco refertur. 334. &c. Parentheses in Scriptura S. vid. *Parentheses.*
Scriptura S. exponitur
Genes. x. *v.* 9. 299. &c.
——— x. *v.* 10. 42. 44. 59.
——— x. *v.* 11. 51. &c.
——— xi. *v.* 1. &c. 157. &c. utrum allegorice & figurate exponendum. 199. &c.
Josuæ vii. *v.* 21. 49.
2. Sam. iv. *v.* 4. 56.
Esaiæ xxiii. *v.* 13. 79. &c.
Ezechielis xxvi. *v.* 1. 110. *v.* 2. 99. 103. 115.
——— xxix. *v.* 18. 19. 102.
Danielis iv. *v.* 27. 70.
Michæ v. *v.* 6. 60. 62.
Galat. iv. *v.* 24. 209.
Semiramis non condidit Babylonem. vid. *Babylon.*
Sepulchri titulus olim solum Nomen Sepulti præferebat. 284. 286.

Σῆμα

Σῆμα ex Hebr. שם quid notet. 283. 284. &c.
Σῆμα & Τάφος distinguuntur. 285.
Signum pro Nomine proprio. 262.
Speluncæ olim fuerunt pro Domibus, & Homines in iis habitabant. 46. 47.
Stephanus de Urbibus explicatur. 142. 146. 149.
Strabo explicatur. 37. 77.
Sulpicius Severus explicatur. 364.

T.

Tatianus explicatur. 14.
Τάφος. v. Σῆμα.
Terra omnis notat omnes totius Terræ Homines. 162. 168.
Theophilus Antiochenus ad Autolycum notatur. 398.
Tostatus Abulensis laudatur. 295.
Troglodytæ, in speluncis habitantes. 47.
Turris Babylonicæ & Dispersionis Historia, quo consilio referatur a Mose. 160. 195. 200. 385.
non est Parabola, aut Allegorice interpretanda. 199. &c.
Eam exstruxerunt Omnes, qui tunc erant, Homines. 162. &c. 380.
Habuit usum Phari & Signi. 259. 260. 292. 293. &c. 315. 316. 322.
non fuit in Valle, sed in æquabili campo exstructa. 320. 321.
in ea exstruenda nullum per se fuit crimen. 325. &c.
sed accessit ex eo, quod non auscultarunt Noa-

Noacho, vel Deo, jubenti eos secedere. 332. 333. 340.
Tyrus antiqua (*Palætyrus*) in continenti sita. 99. 100.
obsessa non ante, sed post destructam Hierosolymam. 104. 105. 115. 116.
destructa vere a Nebucadnezare. 100. 122. 123. 130. &c.
accepit dein Judices & Regulos Babylone usque ad tempora Cyri. 103. 123.
Tyrus nova cœpit & exstitit demum post tempora Nebucadnezaris. 125. 126. sub Monarchia Persica. 126.
Tyrus nulla fuit cognita Græcis tempore Homeri. 130.
Tyriorum Chronologia post Urbem eorum destructam a Nebucadnezare. 117. &c. 121.


V.

Valerius Maximus explicatus. 306.
Venatio & cædes majorum Ferarum olim vel maxime gloriosa. 303. 304.
Venatio in ludis Romanorum. 314.
Verba apud Hebræos etiam a Nominibus derivantur. 280. 281.
Vocabula Diversa diversæ scripturæ, quæ olim fuerunt Eadem. 279. 281.
Gerh. Joh. Vossii Chronologia laudatur. 7.
Ur oppidum Mesopotamiæ, ubi primum habitarunt Abrahami majores, & dein Chasdim, seu Chaldæi. 139. &c. 145.
Urbes olim erant pagis & vicis similes. 45.
Urbs (עִיר) pro uno domicilio & stabili sede apud Hebræos ponitur. 45. 46.

Urbs Caini fuit certa ejus ſedes, vel domus, non vera Urbs, ſed dedit originem veræ Urbi. 45. 48.

Urbium primi conditores fere tantum arces exſtruebant. 151.

FINIS.



ERRA-

ERRATA.

Pag. 325. *v.* 25. leg. *ſine Atroci injuria*
Ibid. v. 26. l. *Horum Conſiliorum*

[illegible]